

HISTORIA
CAJI
CALIGULÆ,

EDENTE

IOHAN. CVNRADO
DIETERICHIO,

PROFESSORE GIESSENO.



GIESSÆ HASSORUM
Typis & Sumptibus FRIDERICI KARGERI

HISTORIA
CALLIGULAE

EDITIONE

IOHANNES CUNYARDUS
DIETTERICHIO
PROFESSORE GIESSENSI



GIESSE HALLORUM
Typis & sumptibus FRIDERICI KARGELI





4. CAJUS CALIGULA

Ioh. Wil-
helm
Stamm,
Holmiã-
Suecus.

I. A caligis militaribus ita dictus, Patris opti-
mi Germanici degener Filius; Mater Agrip-
pina Vipsanii Agrippæ Filia.



Ajus Caligula ubi natus sit, *incertum di-
versitas tradentium fecit* ait Suetonius, ad-
ditque è Plinio in Treviris natum *vico*
Ambiatino supra Confluentes. Quod si ve-
rum est, in Castris Germaniæ natus fuis-
set, unde versus:

c. 8. p.
226.

*In castris natus, patriis nutritus in armis,
Iam designati Principis omen eras.*

Pater Caligulæ fuit *Germanicus*, de cuius rebus gestis egimus in
Tiberio. Mater fuit *Agrippina*, quæ filia fuit Agrippæ & Julæ,
filæ Augusti. Boni Patris Germanici, melioris Avi Drusi, optimi
Proavi Augusti degener admodum Filius. Mater Agrippina com-
mendatur à pudicitia, præter domus morem, eòque Augusto ca-
rior, cui *pudicitiam impenetrabilem* raro elogio tribuit Tacitus, 4. 12.
quæ tanto marito orba in Caligula vidit Filium Parentibus indi- 4. A.
gnum. De liberis quos reliquit Germanicus, Suetonius: *Supersti-* c. 7. p.
tes Patri fuerunt tres sexûs feminei, Agrippina, Drusilla, Livilla, 225.
continuo triennio nata; totidẽ mares, Nero, & Drusus, & CÆSAR.
Ipse Germanicus sub mortem astantes amicos alloquens, apud 2. A.
Tacitum; *Ostendite populo Romano divi Augusti neptem, eandem-* 71. 7.

A

que



4. CAIVS

que conjugem meam, numerate sex liberos. Neminem propè ma-
gnorum virorum filium generosum aut sapientem reliquisse satis
clarere inquit Lampridius; plerique enim aut sine liberis naturæ
satisfecerunt; aut tales certè habuerunt, ut melius fuerit, sine po-
steritate cedere. Inter Cæsares, notante Spartiano, quid Marco
Sever. c. 21. p. 323. felicius fuisset si Commodum non reliquisset heredem? Quid Severo
Septimio, si Bassianum non genuisset? Quid felicius Augusto, si Ju-
liam, Germanico, si Caligulam non genuisset? Natalitius sanguis
non semper sequitur prolem, multique sunt filii Patribus ita dissi-
miles, ut ex malo bonus, & ex bono malus gignatur; id quod jam
olim Euripides cecinit:

Elect. v.
369.

ὡς εἶδον ἦδ' ἠ ἀνδρα γενναίῃς πατρὸς

τὸ μηδ' ἐν ὄντι, χησά τ' ἐκ κακῶν τέκνα.

Quod viderit nihili virum optimo ex Patre,

Et optimam prolem ex malis parentibus.

S. 22. p.
339.

A gregariorum militum habitu Caligula dictus, nimirum, à caligis
militaribus, in contubernio & in castris militum usitatis, ubi sole-
bant gerere gregarii milites caligas; hinc *Castrorum Filius* dictus
fuit, teste Suetonio, & *Caligula*, quia gregario & manipulario ha-
bitu inter milites delectatus fuit, caliga autem στρατιωτικὸν ὑπό-
δημα, vestitus *militaris*, Neuterstiffeln/Enichosen/ tegumentum mi-
litare tiliarum. Cajus in castris genitus, & contubernio Legio-
num educatus, plerumque ad concilianda militum vulgarium stu-
diat tegmine hoc pedum utebatur; unde illud ei cognomen da-
tum, de quo Suet. c. 9. p. 228. *Caligula cognomen castrensi joco tra-*
xit, quia manipulario habitu inter milites educabatur. Tacit. i. A.
41. 4. *Militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad*
concilianda vulgi studia eo tegmine pedum induebatur. Dio lib. 57.
p. 694. Τὸν Γάϊον Καλιγὸλ ἀν προσωνόμαζον, ὅτι ἐν τῷ στρατοπέδῳ τὸ
πλεῖστον τραφεῖς τοῖς στρατιωτικοῖς ὑποδήμασιν ἀντὶ τῶν ἀσυκῶν ἐχρῆτο.
Cajo Caligula cognomen dederunt, quod plerumque in exercitu educa-
tus militari pro urbico pedum tegmine uteretur. Eadem apud Xi-
philinum p. 224. De nomine eodem Suidas: Οὕτως ἐκαλεῖτο Γάϊος
ὁ βασιλεὺς Ῥωμαίων, ἐπεὶ δὲ ἐν μικρᾷ ἡλικίᾳ τὰ πολλα ἐν τῷ στρα-
πέδῳ ἐτρέφετο, καὶ τοῖς στρατιωτικοῖς ἐχρῆτο ὑποδήμασιν. ἐκ τῶν καλι-
λίγων ἐκ Καλιγέλλαν αὐτὸν ὠνόμαζαν. Sic vocabatur Cajus, Romano-

Excerpt.
p. 857.

ΓΜΠ

CALIGULA.

3

rum imperator, quoniam à tenerâ etate maximâ ex parte in castris educatus militari utebatur subligamine; à caligis ergo Caligulam eum nominarunt. Inde Aufonius:

Post hunc castrensis caligæ cognomine Caesar

Successit, sero seior ingenio.

Sic Caligula, instar Ventidii Bassi, in caligâ militari toleravit vitam; & sicut Marius, quod scribit Seneca, à caligâ ad Consulatum venit; sic Caligula à caligis ad imperatorium fastigium, à caligato milite usque ad Imperatoris personam, ab imo ad summum processit. In militia Romana gradus erant, & quidem ordo infimus erat *Tironum* militiam auspicantium, & *Caligatorum*, quorum opera utebantur in vilioribus militiæ muniis Tribuni & Centuriones, planè in modum servorum, uti queruntur apud Tacitum. *Annal.*

Plin. 7.

43.p.100.

5.Ben.16.

p.470.

Gregarii illi & manipulares dicti *Caligati*, à *caliga*, quod vulgare fuit hujus ordinis infimi calceamentum, quamvis id ipsum deinde

1. *Annal.*

17.

& honoratioribus tributum legamus, sed ornatu clavorum, quibus caligæ figebantur, discrimen animadvertebatur, de quo docent

Lipius ad 1. Ann. Tac. n. 172. p. 24; Torrent. in Suet. Aug. p. 114; Barthius ad Britonem p. 93; Vossius Etymolog. p. 93; & diatriba peculiari Julius Nigrorius. Caligæ militares crebris & acutis clavibus erant suffixæ, de soleâ pendentibus, non manipularium tantum sed Centurionum quoque pedibus gestæ. Imperatores caligis purpureis, Patricii fericeis, Consules aureis uti in publico solebant, docente Pithæo. Caligatus proprium Militis epitheton est, absolute etiam pro milite inferioris conditionis sumitur, ut videre est

1. *Subce-*

serv. 16. p.

ex l. 2. lib. 3. tit. 2. ff. de his qui not. infam. ubi Ulpianus ait: *Dimissum* accipere debemus militem caligatum, vel si quis alius usque ad Centurionem, vel Prefectum Cohortis, vel ala vel legionis, vel tribunum sive cohortis sive legionis dimissus est; & l. 9. lib. 48. tit. 3. ff. de custod. & exhibit. reor. l. 6. §. 5. lib. 49. tit. 16. ff. de Re milit. l. 21. lib. 5. tit. 4. C. de nupt. conferendi sunt; unde Modestinus. Ictus hanc militiam vocavit *caligatam* in l. 10. lib. 27. tit. 1. ff. de excusat. tut. Illud verò peccatum integumentum non fuisse necessariò militare ex Hieronymi Epistola ad Geruntiam colligit Jos. Castalio. Caligula inter armatus non nisi focco militari, nil in se militaris virtutis habens, militem se ostendit gregali habitu. Omen itaque fuit illud calciamentum

764.

2. *Ob-*

serv. 4. p.

82.

A 2

rum



c. 9. p.
228.c. 18. p.
557.

4
tum obscuri, gregarii seu manipularii militis. De gratiâ Caligulæ pueri apud milites Suetonius: *Apud milites quantum amore & gratia valuerit, maximè cognitum est, cùm post excessum Augusti tumultuantes, & in furorem usque precipites solus haud dubiè conspectu suo flexit.* Hoc autem Caligulæ nomen demum pro probro habuit, cùm dignitate Cæsareâ superbiret, detrectans nomen, quod olim amaverat castrensis, adeò ut nominare damnosum fuerit. Testis Seneca, in libro, cui titulus de injuria in Sapientem non cadente: *Iratus fuit Herennio Macro, qui illum Cajum salutaverat; nec impunè cessit primipilario, qui Caligulam dixerat. Hoc enim in castris natus, & alumnus Legionum vocari volebat, nullo nomine militibus familiarior unquam factus, sed jam Caligulam convicium & probrum judicabat.*

2. Initio imperii laudabilem se præstat, magnamque de se spem regni bene gubernandi præbet; postmodum flagitiosissimus deprehenditur, prodigalitate, crudelitate, stoliditate, contumeliis, libidine, superbiâ, incestu, invidiâ, saltationibus, aleis, aurigationibus infamis.

Speculum boni Imperatoris exhibet Augustus, mali Tiberius, pessimi Cajus Caligula, par Tiberio studio tyrannidis, impar ingenio, voluntate æqualis, quem & æquavit, & vicit, cuique inferior fuit. Ut enim discrimen est inter bonos & bonos, sic inter malos & malos. Discrimen est inter bonos & malos, doctos & indoctos, æquos & iniquos. Vivo adhuc Augusto tranquillum undique est regnum cum proventu ubique amplissimo. Tiberio adventante languet regnum, distrahitur, nec apparet majestas pristina, eoque mortuo sequitur cum detrimento Cajus Caligula. Evenisse sic perspicimus, ipsis incunabulis Imperii Romani Rectores diversos habitos, cùm felix initium esset in Augusto, in quo

CALIGULA.

5

quo nacta est Romana Res Rectorem summâ cum justitiâ & æ-
 quitate, & quàm bene consultum fuerat rebus publicis per Augu-
 stum, tam malè provisum fuit per Tiberium, & pejus adhuc in Ca-
 ligula, utroque Rectore malo. Sic bonum mali, sic æquum ini-
 qui excepere, sed cum discrimine inter malum & malum. Tibe-
 rius malus fuit, sed cum prudentiâ rerumque peritiâ. Caligula ma-
 lus, sed cum imprudentiâ & stoliditate aut stupiditate. Nihil de-
 fuit Tiberio, peritissimo & in prudentia versutissimo Principi, nisi
 probitas & bona mens. Augustus plantavit imperium, Ti-
 berius evulsit, Cajus eradicavit; nam de Caligula Seneca: *Excer-*
pendus hic è Cesarum numero, ut qui in exitium opprobriumque
humani generis editus sit, à quo imperium eversum funditus. Nota
 est singularis in omni re cura & industria Augusti, sub quo felix
 habendum regnum, quia sapiens, aut sapientiæ studiosus regna-
 vit. Excoluit ille & plantavit & rigavit; & excolendum tradidit
 regnum Tiberio & Caligulæ reliquisque Successoribus, quorum
 fuisset, ut, quam sui Antecessoris diligentiam satis ornatam & instru-
 ctam acceperat Rempublicam, eam quàm ornatissimam amplissi-
 mamque reddidissent. Sed cultorem sequuti sunt destructores.
 Summis partum virtutibus Regnum Romanum per Augustum,
 à quo splendorem & gloriam acceperat, Tiberius neglectui ha-
 buerat, degeneremque Principem sequitur magis degener Cajus
 Caligula, cujus malitiâ accidit, ut, quod sui antecessoris injustitiâ
 & tyrannide Regnum corruptum accepit, corruptius reddiderit.
 Mutatis temporibus augentur multa, minuuntur multa. In novi-
 tate Principatûs dum error formidatur, & suspensi sunt multorum
 animi, experimento postmodum cognoscitur, ubi erratum fue-
 rit, vel non. Sub Augusto augebatur imperium, & beneficentia
 tanti Principis cara erat omnibus. Sub Tiberio & Cajo mutatis
 temporibus minuuntur omnia. Ea tempora, eos Caji mores ita
 pinxit Suetonius, ut non pingi aptius penicillo potuerint. Miramur
 in Suetonio tantam ad scribendos Imperatores diligentiam, & ma-
 gis ad scribenda vitia erroresque libertatem. Nec de vitiis siluere
 Dio & Seneca, Iosephus & Philo, corripientes liberè vitiosum
 Principem. Laudanda in his tradendis diligentia, utilis regnis &
 temporibus necessaria, Aurelii quippe Victoris sententia: *De Ca-*

*Consol. ad
 Polyb. c.
 36. p. 594.*

*Epit. p.
 626.*



ligula nescio an decuerit memoria prodi, nisi forte, quia iuvat de Principibus nosse omnia, ut improbi saltem famæ metu talia declinent. Gratias deberi existimamus Historicis, qui actiones probro- las Principum detegunt, non tam ut integritas historiæ constet, quàm ut pateant hinc divina providentia estimationes, quibus ad- moneri possumus, monente Boeclero, de ingenio humana militie, de vitiorum irritamentis in summâ fortunâ, de miseriâ servitutis, de exitu tyrannidis, de horum omnium causis, quæque ad hanc for- mam plurima notatu digna ex tam deformis argumenti meditatio- ne se offerunt. Romanos Cæsares si excutimus, malorum major numerus fuit; pauci laudabiles extitère. Censendi sunt Cæsares ex vero, nilque addendum, nil minuendum; sed literis condi debet, quicquid in utramq; partem Principes vel justè vel injustè faciunt. Principum Vita mala quid efficiat, Cicero exprimit, tertio de Le- gibus: Non tantum mali est peccare Principes (quamvis magnum est per seipsum malum) quantum illud, quod per multi etiam Princi- pum imitatores existunt. Nec solum vitia concipiunt ipsi Princi- pes, sed ea infundunt in Civitates; nec solum obsunt, quod ipsi cor- rumpuntur, plusq; exemplo quàm peccato nocent. Vi enim in corpo- ribus, sic imperio gravissimus est morbus, qui à capite diffunditur. Quò magis studendum Principibus, ut & quæ utilia sunt, præstent, & optimè in exemplum aliorum vivant. Bene censet & scribit Æ- gidius Romanus: Est detestabile cuilibet homini ponere suam felici- tatem in voluptatibus; sed maximè hoc est detestabile Regie Maje- stati; primo enim talia sunt detestabilia Regi, quia ipsum maximè deprimunt; secundo, quia eum contemtibilem reddunt; tertio, quia esse ipsum indignum principari faciunt. Observari hæc & annotari debent in Cajo, qui posuit suam fælicitatem in vitiis variis exer- cendis, maximè cum ad regni veniret fælicitatem, malo tamen suc- cessu. Liberiori loco liberior factus tantò intentius procuravit malè vivere atque agere, quantò jam patebat ad familiaria vitia via proclivior. Felicitas esse solet occasio magis peccandi, qui, quanto sumus feliciores, eò sumus ad peccandum laxiores & pro- niores. Summis Principibus quo sunt majores fortunæ, eò plerun- que sunt pejores. In Cajo felicitas cumulum vitiorum auxit, ut in immensum creverit. Exterior quidem species proferebat, cum nondum

Dissert. in
 Suet. p.
 73.

col. 458.
 T. 4.

lib. 1. part.
 1. de Re-
 gim.
 Princ. 6.
 6. fol. 3.

non dum sese totum scenæ aperiret, Regem, à Rege non alienum, sed interior Tyrannus diu se non celabat, è carcere suo productus post biennium, uti apud Neronem post quinquennium. Inter Magnates observentur τὰ κρυπτόμενα καὶ ἀτρεμένον πάθον, *latenti & quiescentia vitia*, sicut in Antonio ea monstrat Plutarchus. Fe- *Ant. p. 926.*
 cit Cajus, quod initio solent Tyranni, ut malum animum tegant, quod ante eum fecerat Tiberius, post eum Nero, donec liberato curis animo ex medio tyrannidis æstu interiora mala, diu dissimulata, evomant. Novi Principatus erat augustissimus ob insignem lætitiæ dies, cujus mox pænitentia cepit. *Statim consensu Senatus, & irrupentis in Curiam turbae, irritâ Tiberii voluntate, qui Suet. c. 14. p. 237.*
testamento alterum Nepotem suum, prætextatum adhuc, cohæredem ei dederat, jus arbitriumque omnium rerum illi permissum est, tanta publica lætitiæ, ut tribus proximis mensibus, ac ne totis quidem, supra centum sexaginta millia victimarum caesa tradantur. Imperatore ad regnum evecto non solum populus Romanus ἐγεγνήθη, *exultabat*, sed & ingens lætitiæ universam Italiam, gentesque alias in Asiâ & Europâ, incessit, quod longo sermonis concinno Philo Judæus tradit libro de Legatione ad Cajum, sub initio libri. Simulationem Principis, tanquam boni, Suetonius exponit à c. 13 usque ad c. 22, lætitiæ primò exponens hominum de eo, tanquam *exoptissimo Principe*, ad mutationem verò cum pervenit, ait: *Haëtenuis* *231.*
quasi de Principe; reliqua ut de monstro narranda sunt. Primo *c. 22. p. 239.*
statim anno regni palpum obtrudebat Senatui, Equitibus & Plebi, *πολλὰ κολακείων, multis verbis adulatus. τὴν τε ἀρχὴν κοινώσσειν σφίσι, καὶ πανθ' ὅσα αὐτῶν καὶ ἐκείνοις ἀρέσσει ποιήσσειν ὑπέχετο, καὶ ὑὸς καὶ τρέφειμι* *Dio l. 59. p. 738.*
αὐτῶν λέγων εἶναι. Promittebat communicaturum se cum eis imperium, omniaque ad placitum eorum acturum, filium se & Alumnium eorum dictitans. Inter imperii exordia memoratu dignum ejus dictum & factum notatur à Suetonio, negantis se *De- 15. p. 234.*
latoribus aures habere, cum ei libellus offerretur de salute suâ. Multa scribuntur & dicuntur inter Principes, quæ cor non dicat. Simile etiam dictum fuit de delatoribus castigandis Domitiani, *Suet. c. 92. p. 462.*
 sed non ex animo. Initio sic imperii laudabilem se exhibuit, Tiberii instar, sed cum non ex initio sit judicandum, maturè Senatus, cui liberam aliàs jurisdictionem addixerat, fuit expertus, quàm sub-
 dolè

Exc p.
858.

7.5.p.
581.
p.654.
p.802.

lib.48. p.
418.

dolè se *Filium & alumnium Senatûs* nominaverit, & quàm acclamationes de *Patre exercituum*, de *optimo Casare*, fuerint frustraneæ. De hac μετὰ Σάδης Suidas: Γαίος, Ρωμαίων βασιλεὺς, τὸ μὲν πρῶτον μεγαλοφρόνως διεῖπε τῆς βασιλείας τὰ πράγματα, καὶ πᾶσι τοῖς ὑπηκόοις καὶ θηκόνως ἐχρῆτο. μετὰ δὲ δύο χρόνους, ἐκείνου τῆς ἀνδρωπίνης φύσεως, κατὰ μίμησιν τῆ πατρὸς ἐαυτὸν ἀπεδέωσε. *Cajus, Romanorum Imperator, principio res imperii magnificè administrabat, & omnes subiectos populos, ut decet. Sed post biennium natura humane oblitus Patris imitatione se Deum fecit. Et interjectis aliquot effatur ipso Tiberio fuisse pejorem: Οὕτω, αἶτ, μιακρώταλός τε καὶ ἀνοσιώταλός ἐγένετο, καὶ τοσούτον ὄρμαθὸν κακῶν συνειληφῶς ἐπεκάλυψε τὰ τῆ Τιβερίου μειονεκτήματα. Usque adeò porrò impurius & nefarius existit, tantamque scelerum seriem connexuit, ut Tiberii delicta operuerit. Et tandem claudens τοιαύτω, αἶτ, ἀνθυκράτορι οἱ Ρωμαῖοι παρεδόθησαν, ὥστε τὰ τῆ Τιβερίου ἔργα, καίπερ χαλεπώτατα δόξαντα γινόμενα, τοσούτον τὰ Γαίου, ὅσον τὰ τῆ Ἀργύρου παρ' ἐκείνα παρήνευξαν. Tali Imperatori Romani traditi sunt, ut Tiberii facinora, quamvis atrocissima visa, Cajus tantum superârit, quantum Tiberius Augusti. Quæ ultima verba desumfit ex Dione lib. 59 p. 738, vel hujus Epitomatore Xiphilino, qui Cajum Tiberio deteriolem faciunt, Tiberiique facinora, licet molestissima, tantum à vitiis Caji abfuisse dicunt, quantum ab Augusti virtutibus Tiberius; notavitque Dio p. 737 libidines & parricidia Tiberii non imitatum modo Cajum fuisse, sed & superasse, & μόνον ἐξήλωσεν, inquit, ἀλλὰ καὶ ὑπερέβαλεν, non imitatus ea modo fuit, sed & excessit. Nil habet historia Caji, quo lætari bona Principum mens possit, nisi in *Patre Germanico*, cujus si Cajus virtutes expressisset, inter optimos Principes locum teneret; qui nunc inter pessimos ob avaritiam, libidinem, aliaque vitia primum tenet; unde dicitur Orosio, *homo omnium ante se flagitiosissimus; Eutropio sceleratissimus ac funestissimus, & qui etiam Tiberii dedecora purgaverit, der den Tiberium hat guth gemacht / ut nos solemus loqui. Joanni Antiocheno μιακρώταλός τε καὶ ἀνοσιώταλός, impurissimus ac scelestissimus, adeò vitiorum coluvie defœdatus, ut Tiberii dedecora (τὰ Τιβερίου μειονεκτήματα) absconderit. Tiberius malus, pejor Cajus. Ille crudelis, crudelior hic. Inter paradoxa retulit Dio, ut Livia, Cæsarem fugiens, Cæsari nube-**

CALIGULA.

nuberet, atque Tiberius, ὁ σὺν τοῖς τοῦ ἐμοῦ τότε ἐκδορῆς, qui cum parentibus tunc suis solum vertebat, Imperator post Augustum fieret. Paradoxum aliud hic habes in Caligula, imò παραδοξότατον, qui in Aulâ Tiberii, nec non in umbrâ Gynæcēi educatus, nullo notus splendore virtutum, ad imperium venit. Educatio Caji mala fuit, ad eò ut maturè vitia imbiberit in Syriaca Patris militia tyro, in gynæceo Matris Agrippinæ, Avia Antonia & Proavia Livia; in Tiberii contubernio, quod Capreis habuit, narrante Suetonio. *cap. 10.*
 Inde videas, quàm fuerit ratio educandi perversa; nec curam & cogitationem ullam seriam adhibuit Tiberius emendandi ejus mores, aliàs extra tectum habuisset suum. Secebatatur autem artes eas & vitia sordida & inquinata, quæ animadverterat in Tiberianis gymnasiis, videratque probè ipse Tiberius & nominaverat Caji malos mores. Inopia locorum, in quibus ad virtutem exercitatio esset, boni quicquam afferre nequivit. Mollities Gynæcēi, improbitas Caprearum, dissoluta castrorum vita, mollem, vanum & levem Principem produxerunt. Ita educatio fuit, ut sub obsequiis malis & injustis adolesceret malus Princeps. Æstimatio Tiberii, in vitia proni, ante oculos fuit, cui præstabat amorem, qui verè non amabatur. Vanorum aut mollium est ea educatio; notatuque dignum est judicium Tiberii sagax, perspicientis exitio suo omniumque Cajum vivere, & se Natricem populo R, Phaetontem orbi terrarum educare. Scitè Phaetonti, elementorum turbatori & imperito rectori Solis, comparat Caligulam, sagaciter notans sævum ingenium adolescentis & prænotans futuram Reipublicæ stragem. Ferum ejus ingenium, ait Suetonius, sagacissimus *c. 11. p.*
Senex ita prorsus perspexerat, ut aliquoties predicaret, exitio suo omniumque Cajum vivere, & se Natricem populo Romano, Phaetontem orbi terrarum educare. Quod Imperator fuit factus, non sine patrocinio Tiberii factum. Usque eo incubuit Tiberius, ne competitorum regni haberet, sed ut successorem se pejorem acciperet, quo melior ipse videretur. Vexatum variis nequitias regnum reliquit nequiori se Caligulæ. Testamento Tiberius nepotem suum Tiberium cohæredem Cajo dederat, communicato scilicet inter duos imperio; sed quibus artibus Cajus Tiberii nepotem interemerit, & ad regnum Macronis ope pervenerit, docebit latè

B

Cl.

Diss. in Cal. n. 5. 6. 7 p. 76, 77, 78. c. 11. p. 229. Cl. Boeclerus. Nullum in Cajo ingenium Tiberius deprehendit, nullos mores ingenuos, sed subdolos, arte celatos; utque tectius ludos suos ageret, capillamento se texit notho, ut nemo agnosceret, studiisque vitiorum simulacrum quarebat per vestes ignotas. *N turam sevam, inquit Suetonius, atque probrosam, nec tunc quidem (cum esset in obsequio Tiberii) inhibere poterat; quin & animadversionibus poenisque ad supplicium datorum cupidissime intereffet; & ganeas atque adulteria capillamento celatus (galericulum capitis vocatur in Ottone c. 12. p. 402, nobis hodie Paruck) & veste longâ noctibus obiret; ac scenicas saltandi canendique artes studiosissime appeteret.* Hæc ejus fuere in illo secessu studia, hæc otia & negotia, scortari, saltare, nequiter agere. Incredibile n in eo fuisse dissimulationem ait Suetonius, obsequium verè servile in Tiberium. Quàm superbè Caligula dominatur, tam se submissè Tiberio imperante gesserat; unde mox scitum Passieni Oratoris dictum percrebuit, *neque meliorem unquam servum, neque deteriorem Dominum fuisse.* Simulatio illa servilis degeneravit in asperiores Dominum, unde illa facetia aspera acrem reliquit memoriam in animis Romanorum, ut etiam percrebuerit, notante Tacito. *No- verat immanem animum subdola modestia tegere, dicente ibidem Tacito; nec ignarus erat, qua erat promptitudine simulationis, im- mensum civium amorem studiisque hominum incendere (quo verbo non frustra utitur Suetonius) omni genere popularitatis.* Eandem noverat artem adhibere in conciliando sibi populo, Nero, & applicare didicerat sceleribus suis, nam *maximè popularitate efferebatur, omnium amulus, qui quoquo modo animum vulgi moverent.* Hoc velo voluit sibi prospicere *Salvius Otto, qui solebat crebro venire in theatra, θωπέειν τὸ πλῆθος, demulcere multitudinem, peregrinos donare civitate, atque alia multa promittere, quibus tamen rebus obstringere potuit non nisi paucos sui similes.* Pari modo ejus successor Vitellius crebrò veniebat in theatra, *ὡς τὸν ὄμιλον ἀπ' αὐτῶν ἀναρτᾶσαι, ut ad se plebis animos alliceret.* Qui scire poterat plebs, seridè illa fierent, an de industria? At non faciebant ad verum, dissimulabant vitia, ut plebem seducerent. Quæ signa majora perseverantis animi esse poterant, quàm alloqui festivè populum, de eo bene quotidie dicere, illi largiri? Cùm non-
dum.

c. 10. p. 229.

6. Ann. 20. 2.

c. 14. & 15. p. 232. Suet. c. 53 p. 370. Xiphil. p. 306.

Xiphil. p. 310.

dum certa natura Caji posset deprehendi, augebat ille favorem novo aucupii genere, quando pari popularitate damnatos relegatosque restituit, criminumque si qua residua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit. Inter artes pelliciendi, sed malè concinnatas adhuc, ἀμνηστία erat, qua criminum priorum omnium gratiam fecit. Sic Claudius imperio stabilito omnium factorum dictorumque veniam & oblivionem in perpetuum sanxit; Sueton. c. 11. p. 284. Lætabatur suis secundis Populus, magisque Senatus, Cajum ita commendans veneransque, ut majore studio non posset, eam etiam gratiam considerans læto animo in re magis operosâ, quando Cajus, Dione narrante, ἐγκλήματα τ' ἀσεβείας, οἷσπερ καὶ τὰ μάλιστα πονεμένους σφᾶς ἐώρα, κατέλυσε, καὶ τὰ χράματα τὰ περὶ αὐτῶν, ὅσα ὁ Τιβερίος κατελειπίη, κατέκαυσε, actiones læsæ majestatis, quibus urbem maximè vexari viderat, sustulit, libellosque de iis à Tiberio relictos, exussit. Idem & antea p. 737 tetigerat. Mutavit vero animum, & Majestatis criminibus revocatis tabulis ea æneis incidit p. 749, unde metus maximus Senatûs Populique. Fiducia amoris insuper crevit erga eum, quia initio imperii indulgebat & concedebat Magistratibus liberam judicationem, & sine sui appellatione. Imitari hîc Tiberianam simulationem, & generosiores animos sibi demereri voluit. Non enim rectè interpretantur, qui metuunt, ne majestati Principis aliquid inde detrahatur; egit enim illud eo tempore, quo civilis animi studium præ se ferens imaginem antiquitatis Romanis præbebat, nota arte, & nunquam ad diminuendam vim Principatûs comparatâ, notante Boeclero. Ejus invidias exemplum in Nerone, cum omnes appellationes à Iudicibus ad Senatum fieri voluit. De hoc appellationis usu apud Romanos ad Suetonium differit Lev. Torrentius. Gratis hæc accipiebantur animis, commendabaturque summa benignitas Caji, tanquam Principis communia amanti; dumque Princeps vulpina hac uteretur, videbatur exoptatissimus Princeps maxima parti provinciarum ac militum, quem favorem juvabat memoria grata Germanici Patris, notante Suetonio. Dum diu Principem texerat, tandem detexit Tyrannum. Οὐκ εἰς μακρὰν, ait Philo, ὁ σωτὴρ καὶ εὐεργέτης εἶναι νομισθεὶς, καὶ τινὰς ἀγαθῶν πραγμάτων ἐπομβρήσειν Ἀσίᾳ τε καὶ Ἑυρώπῃ πρὸς εὐδαιμονίαν ἀκαταίτητον, ἰδίᾳ τε ἐκάσῳ, καὶ πᾶσι κοινῇ

l. 59. p. 739.

Suet. 16. p. 234.

Append. Diff. Acad. p. 61.

Suet. c. 17. p. 332. pag. 128. 129.

c. 13. p. 231.

B 2

κοινῆ τὸ λεγόμενον δὴ τῦτο ἀφ' ἑστίας ἤρξατο, μεταβαλὼν πρὸς τὸ ἀτρί-
 Δασον, μᾶλλον δὲ ἢν συνεικίασεν ἀρχιότῃ τῷ πλάσματι τῆς ὑπεκεί-
 σεως, ἀναφήνας. *Parum intercessit temporis, cum ille qui Conserva-
 tor & Beneficiorum largitor fore sperabatur, qui bonorum fontibus
 novis irrigaturus putabatur Asiam atque Europam ad felicitatem
 perpetuam publicam atque privatam, ab ipso lare, quod dicitur, ex-
 orsus, ad feritatem se convertit, aut potius, quam sub fallaci persona
 tegebat feritatem detexit.* Sævam ac lentam naturam tribuit Tibe-
 rio Suetonius c. 57 p. 204, *sævam ac probrosam naturam* Cajo cap.
 11. p. 229, quam explicat commodè in utroque Cæsare Cl. Boecler-
 us Dissert. in Cal. p. 74, 75. Non ingenium fuit Cajo, non mens
 recta, non frons serena. Animum cum fronte compone, & utrum-
 que damnabis. Nihil commendare poteris in Principe, neque
 mentem neque vultum. Frontem ne contrahe, si frontem tibi
 prius exponimus Caji. Faciem & habitum corporis habeas Hi-
 storici verbis: *Statura fuit eminenti, pallido colore, gracilitate maxi-
 ma cervicis & crurum, & oculis & temporibus concavis, fronte la-
 ta & torva, capillo raro ac circa verticem nullo, hirsutus cetera.* Ea-
 dem cum Suetonio notat Seneca in libro, quod in Sapientem non
 cadat injuria: *C. Casar inter cetera vitia, quibus abundabat, contu-
 meliosus, mirabili studio ferebatur omnes nota aliqua ferendi, ipse
 materialis benignissima. Tanta illi palloris insaniam testantis fœ-
 ditas erat, tanta oculorum sub fronte anili latentium torvitas, tanta
 capitis destituti, & emendicatis capillis aspersi deformitas.* Adjice
*obsessam setis cervicem, & exilitatem crurum, & enormitatem pe-
 dum.* Monstrum illud hominis, ut efferatior videretur intuenti-
 bus, componebat faciem *ad speculum* in omnem terrorem & for-
 midinem, teste Suetonio. Visu penè interfecerat Agrippam, teste
 Philone. *Valitudo ei neque animi neque corporis constitit,* dicente
 Suetonio; cumque sua haberet intervalla stolidus ille Melancho-
 licus, *mentis valetudinem ipse senserat, ac subinde de secessu deque
 purgando cerebro cogitavit.* Turbida ac nubila fuit mens atque
 etiam nubila facies, ut eo conspecto Pacuvius dixisset.

e. 50. p.
264.

e. 18. p.
356.

e. 50. p.
265.

Atalant.
ap. Non.
Suet. c.
22. p. 239.

Quid istuc? vultum que caligat tristitas?

Gubernandi ratio leni Principatus nomine exprimebatur ab Au-
 gusto, postea Caligula in animo habuerat diadema sumere ac spe-

scimus

aiem Principatus in Regni formam convertere. Regni formam vocat insignia, quibus Reges olim utebantur ad indicandam maiestatem regiam, puta diadema, purpuram, sceptrum, & cætera hoc genus, exponente Casaubono. Principem, non Dominum, se dicevolebat Augustus, quod alibi docemus; ait Cajus elatus Dominum dici, atque in signe regni capiti neſtere, tentaverat, Victore scribente pag. 613; & postmodum pag. 626: Primus diademate capiti imposito Dominum se iussit appellari. Caji mores inde noscebantur, cum dedecoris sui nota, qui popularem se præbens subito fit monarchicώταλ, de quâ mutatione Dio: Δημοκρατικώταλ εἶναι τα- 1.59. p. 736. πρώτα δόξας μοναρχικώταλ ἐγένετο, ὡς εἰπὼντα, ὅτι ὁ Αὐγύστου ἐν τούτῳ τῆς ἀρχῆς χρόνῳ μόλις, καὶ κατ' ἐν ἑκάστον οἱ ἐδέξατο, ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ λαβεῖν. Initio se maximè popularem ostentavit; mox ita monarchicos mores assumpsit, ut omnia, quæ tanto imperii sui tempore Augustus, vix ea quidem & singulatim sibi decreta, accepit, ille uno die arripuerit. De regno erat meritum optimè Augustus, & meritorum sunt testimonia multa à nobis suo loco data; ait non potuit linguam detrahentis Caji effugere optimus Princeps, cui invidit felicitatem victoriarum, neq; contentus insectatione inthorum Augusti Aethiacas Siculasque victorias, ut funestas populo Romano & calamitosas, vetuit solennibus feriis celebrari. Laudabiliter quidem fecit, quod rationes Imperii ab Augusto proponi solitas, sed à Tiberio intermissas publicavit, sed sibi non constitit vagus Princeps. Immensum est, ait Seneca, si velim singulare referre, per quæ in Parentes Avosque suos contumeliosus fuit, per quæ in universos Ordines. Contumeliæ sanè dirissimum est exemplum, quâ in proprios, quod ajunt, minxit cineres. Memorante Suetonio, Agrippa se nepotem neque dici ob ignobilitatem ejus volebat, succensebat, que, si quid vel oratione, vel carmine imaginibus Cæsarum inferebant. Predicabat autem Matrem suam ex incesto, quod Augustus cum Julia filia commisisset, procreatans. Liviam Augustam proaviam Ulysses stolatum identidem appellans; etiam ignobilitatis quadam apud Senatum Epistola arguere ausus est, quasi materno avo Decurione Fundano ortam, cum publicis monumentis certum sit, Anfidiam Lingonem Romæ honoribus functum. Sicut autem monumentum illud contumeliis debacchari noverat, at idem, quod ait Seneca,

lib. 59. p.
737.

col. 738.

lib. 59. p.
748.lib. 59. p.
756.Præf. in
Suet. p.
64.

neca, omnia contumelias putabat, & fuit ferendarum impatiens, faciendarum cupidissimus. Inconstans fuit monstrosus Caligula, καὶ πρὸς πάντα ἐναντίον, & ad omnia contrarium, dicente Dione. Modò Tiberii vitia, maximè notam ἀσελγείαν καὶ τὴν μαιφονίαν, libidinem & parricidia, incessabat, quæ tamen ille non modò imitabatur, ἀλλὰ καὶ ὑπερέβαλεν, sed etiam superavit. Modò Tiberium laudabat, ὧν δὲ δὴ ἐπήνη, ἐδὲν ἐμιμήσατο, quæ vero laudabat, nihil horum sectabatur. Desultorium sibi que contrarium Principem Cajum describit Dio multis concluditque: ὡς εἰ μὴ δὲνα μὴθ' ὅ, τι εἰπεῖν, μὴθ' ὅ, τι ποιῆσαι καὶ πρὸς αὐτὸν, εἰδέναι, ἀλλ' ὅσοι τι καὶ κατώρθεωσαν, ἐκ συντυχίας μᾶλλον ἢ γνώμης τυχεῖν αὐτῶν, ut nemo sciret, quo pacto cum eo loqui aut agere deberet; si que quis prospere id effecit, magis fortuna quam consilio id affecutus fuit. Qui modò amicitiam Senatui sub simulatione spondet, decernitque honores; mox, dum in præteritorum memoriam redit, Tiberium laudat, Senatui accusat, patriæ calamitatem Senatui tribuit, quum antea Tiberium semper & apud omnes convitiis incessisset, verè turbidus animo, uti traditur Dioni. Inconsideratus Princeps, qui seipsum non novit, nec expendit, quid agat morio imperii. Hodie Comitibus populo plebique reddit, abrogatis eâdere Tiberii constitutionibus, teste Dione lib. 59. p. 742 cras res aberat, quod docet p. 753. Mirabilis ingenii Princeps solebat semper ea, quæ in honorem à Senatu exhiberentur, nihil pendere, παρ' ἐδὲν τιθέναι, de quo legendus Dio. Bono Civi communis fortuna cum Republicâ est, ut illâ incolumi & florente floreat, & languente langueat. Bona civitas & Respublica sub malo Principe in extremam ruinam suarum rerum labitur. Integra mente non fuit Cajus, asperum se & sævum in Cives præbens, variis exemplis & modis. In uno hoc Imperatore vitiorum quam diversa facies! Romæ, tanquam in theatriali scenâ, unus atque idem Histrio nunc crudelis in viscera hominum furit; nunc mollis in Venerem frangitur, nunc superbus in Jovem & Bacchum se transformat. Nihil satis contumeliosè in monstrum hominis dici potest; superat enim omne convicium improbitas, nequitia & stultitia, dicente Glareano. Tyrannus ad omnia durus Cajus, & colluctationes cum Tyranno difficillimæ. Tyrannidis sunt notanda aliquot exempla, quorum recordatione & exemplis judi-

judicare de Tyrannis, nec non instrui de eorum actionibus & admoneri queamus. Solent Principes clam celare sua vitia, in quo studuerat Tiberius, qui solebat furari voluptates & secessus quærere in vitiis. Nemo ignorabat Caligulæ vitia, nec ignorari voluit in sceleribus. Imò contendit, ut sciretur impudentia, sibi que gratulabatur. Contemplare quæso Caligulam in his Suetonii verbis:

Immanissima facta augebat atrocitate verborum. Nihil magis in natura sua laudare se ac probare dicebat, quam à διατρεψία. *Queri* c. 29. p. 248.

palam de conditione temporum suorum solebat, quòd nullis calamitatibus publicis insignirentur. *Habitus mentis bene per virtutes* c. 31. p. 249.

compositæ etiam in statu externo per modestiam corporis ostendi solet & debet. Effectus & actus externus Virtutis internæ dici

Modestia solet, quæ est compositio membrorum, sensuum, vestitium, incessus, sermonis, aspectus, vultus, omniumque motuum & actuum externorum. Modestia gravis apparebat in Augusti

actionibus, suum decus servans vultu, voce, habitu, vestitu. Ast

Cajo omnia contraria placebant, quem totum nobis repræsentat unico verbo Suetonius, referens de se prædicare solitum, nihil se

magis probare quàm *Impudentiam*, à διατρεψία, quo verbo utebatur. *Διατρεψία* illa propudium hominis nobis depingit, à quo

pudor & pudicitia procul erant. Habemus iudicium de se impudens impudici turpisque Principis, quod si alius diceret, mole-

stum esset aut periculosum; vox autem est *carnifice* quàm *Imperatore* dignior, quod ait in Apophthegm. Erasmus. Dum cogitamus,

l. 5. p. 252.
T. 4.

quid prius, quid posterius de turpi Cajo colligendum sit, *Stultitiam* anteire iudicamus, tanquam vexillum, sub quo vitia militant.

In eos qui ridiculè stulteve quippiam facerent, Siculum erat proverbium: *Μωρότερος ἐὶ Μωρόχου*, *stultior es Morycho*. Stultior Ca-

ligula nemo Romanorum Imperatorum fuit, qui in eo planè videtur navasse operam, ut se stultum Morychum exhiberet Roma-

nis. Salomon prudentissimus vidit poni stolidum ἐν ὑψηλοῖς μεγάλαις, *in dignitatibus celsis & amplis, einen Darn in grosser Würde*. Vera

Ecclesiast.
10. 6.

profectò sententia in Cajo, nec dignior alio, cuius stoliditatem ut videret, Regina de Saba usque non venisset. Vides hîc in cel-

lissima Roma poni stolidam Caligulam in throno imperatorio; cuius stultitiam arguit, quod *vestes muliebres* induit, ornavit in-

At:

- παρ. 858. *Star* fæminæ crines, de quo Suidas in Excerptis: Εἰς μανίαν τραπέϊς ἀθεσμον, ὅσας γυναικείας ἠμφιένυτο, καὶ τὴν κόμην πλοκάμοις καὶ πλοκῇ τινι περὶ σέλλων καὶ γυναικίζομενος, καὶ πᾶσαν ἀιχρουργίαν διαπορατίζομενος, τελετὰς ἐπένοβ, καὶ ξενὰ μυσήεια ἐπέτελε. Nefario correptus furore vestes muliebres induebat, & comam plicis quibusdam ornando, & feminas imitando, omniaque flagitia perpetrando, festa quadam excogitabat, & peregrina sacra peragebat. Androgynum
19. Ant. hunc reprehendit Josephus quod vestimenta aliaque ornamenta
ii. p. 654. muliebria induerit. Utebatur *Cyclade*, togæ fæminæ quod erat
c. 52. p. genus, unde *cycladatus* apud Suetonium in publicum processit,
267. itemque sericatus. Ea stultitia Tyrannus *Saturninus* apud Vo-
p. 406. piscum *cyclade uxoria*, militibus circumstantibus, amictus & ado-
ratus fuit. Risum excitaret vel agelasto, quum gravis Imperator, &
Suet. c. ad quævis stolidus idoneus, truci vultu uxorem *Cæsoniam* sæpe mi-
25. p. 244. litibus nudam ostenderit, & loricateam juxta ad equitantem habue-
rit, chlamyde & pelta & galea ornatam. Tam ille stolidus, ut adul-
teria sua narraret illis ipsis, quorum uxoribus usus fuerat. Stolidi-
tati ejus & mentis valetudini tribuendum, quod *Equum*, quem
Suet. c. *Incitatum* nominabat, splendido convivio exciperet, hordeum ex
55. p. 269. auro apponeret, vinum è poculis aureis præberet, eburneum præ-
Dio l. 59. sepe, monile è gemmis, purpureum tegumentum, addiderit, ad
p. 747. Consulatus honorem evehere decreverit, Collegam in Sacerdotio
designaret sacrificiis additis, ut de brutali hoc homine vere Dio
dicat, *brutorum animantium collegam esse, qui belluinam vitam
agat*. Placuit *Caligulæ*, ut *Equus Consul* designaretur, cur non ut
etiam Princeps? Quàm egregium fuisset spectaculum, si, præeun-
te *Caligula*, *Equus* in togâ candidâ Centuriata Comitibus obiverit,
ambiverit populum, prensaverit ungulis, adhinniverit, Consul
dictus cunctis liberisque suffragiis cum fascibus & securibus tolu-
tim badiffaverit, trabeatusque inceserit. Non est irridendus *Con-
sul quadrupes*, quia sic *Cæsari* placuit. Quod enim *Cæsar* statuit, id
à *Cæsare* pondus & autoritatem habet. Placuit eidem *Becceseleno*,
ut *Luna* sibi nuptum daretur, quam plenam fulgentemque assidue in
b. 22. p. 240. *complexus invitavit atque concubitum*, notante Suetonio. Consue-
tudine *lovis Capitolini* delectabatur, secreto cū eo fabulabatur, modo
insusurrans, ac præbens invicem aures, modo clarius, nec sine jurgiis.

Quanta

Quanta verò stultitia, quod in comessatione tonante caelo ad pugnam vocârit Jovem, Homericus usus hemistichio: ἢ μὲν ἀνάειρ, ἢ ἐγὼ σὲ. *Aut tu me tolle, aut ego TE.* Id narrat Dio l. 59. p. 761, & ex eo Joannes Antiochenus p. 805: Ταῖς βρονταῖς ἐκ μηχανῆς τινὸς ἀντεβρόντα, καὶ ταῖς ἀστραπαῖς ἀντήστραπτεν, ὅπως δὲ κεραυνὸς κατέπεσε, λίθον ἀντηκίοντιζεν. *Tonante Iove aut fulgurante quibusdam machinis obtonabat atque obfulgurabat, ac quoties fulmen è caelo decidisset, lapides ejaculabatur.* Extremam hanc stoliditatem exagitat Seneca l. de Irâ 16 p. 407. Non prius autem indignatio stolidi hominis defuit quàm Jovis tonantis. Quàm ostendit apud animum suum nihil valere præcepta Philosophiæ de Deitimore! Quanta item stultitia fuit accusare Jovem, quod Capitolium Romæ occupaverit; & minitari Jovi, quod non fuisset passus Jovis Olympii simulacrum in propriam commutari effigiem, nave per incendium fulminis absumtâ. Nugas narrant Suetonius cap. 22. p. 239, 240; Dio lib. 59 p. 761. Stolidus Caligula stolidior, quod heroicum animum Alexandri se imitari putat, si thoracem ejus gestaret. *Ἐπειδὴν δὲ ἐ- Dio lib. τοιμα ἦν, τὸν δὲ θώρακα Ἀλεξάνδρου, ὡς ἔλεγε, καὶ ἐπ' αὐτῷ χλαμύδα 59. p. σπεικὴν ἀλαργῆν, πολὺ μὲν χρυσιόν, πολλὰς τε λίθους Ἰνδικὰς ἔχουσαν 750. ἐπεπέδου. ξίφος δὲ παρὲζ ὠκείον, καὶ ἀσπίδα ἔλαβε, καὶ δευτὴρὸν ἐσφρανώσατο.* *Omniibus perfectis Thoracem, quem Alexandri fuisse perhibebant, & supra eum chlamydem sericam purpurei coloris, multo auro multisque gemmis Indicis ornatam induit, gladioque se accinxit, clypeum sumpsit, querna corona capiti imposita.* Quàm subito factus Caligula Alexander? Quæ imitatio ut sine ratione est, sic meritò ridenda, non aliter ac Caracallæ, pari modo stultescentis, ac arma, pocula, militem ad Alexandri modum comparantis; quin etiam procurantis imagines fieri gemino vultu, Alexandri nempe & suo fictas, quales se vidisse memorat Herodianus. *Meliori modo lib. 4 p. Alexandrum Severum præcipuè eundem sibi imitandum propo- 548. fuisse scribit Lampridius. A Diis Deabusque, & Heroibus, ad Homines se convertens, in se hominem non videt, sed inhumanum Timonem. Deformem & stolidum pungebat Principem, si formæ egregiæ videret homines, quia sibi formæ dignitas non erat; unde Suetonius: Pulchros & comatos, quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat. c. 35. p. 252.* *Quam friyola hæc in Principe!*

S. 26. p.
246.
Vopisc.
p. 396.

S. 32. p.
250.

Dio lib.
19 p. 738.

Suet. c.
37. p. 254.

S. 11. p.
229.

cipe ! Quàm frivolè stolidum ejusdem gaudium , quum incensus pecuniæ contrahendæ cupidine sæpe super immensos aureorum & argenteorum acervos , patentissimo diffusos loco, nudis pedibus spatia retur, & toto corpore diu volutaretur, id quod referunt Dio l. 59 p. 762 & Suet. c. 42 p. 259. Stultior Corcæbo fuit, dum horrea præclusit Romæ, ut populum Romanum fame laborantem rideret. Nonnunquam horreis præclusis populo famem indixit, ait Suetonius. Primam rei frumentariæ & annonæ urbicæ rationem habuerunt Principes boni, cupideque procurabant populo, unde lætarentur saturati, sicuti Aurelianus scripsit ad Præfectum Annonæ, *populo Romano saturo nihil esse latius*. Ast illi Corcæbo optatior erat gemens & tristis populus, magis crudelitate quàm humanitate in officio contineri posse plebem sibi persuadens; sed exitus dedit, quid effecerit. Quæ autem rabies stolidæ, quod Mirmillonem occidebat, & ut victor virque triumphi saltitaret, palmam ferens in manibus, de quo Suetonius: *Mirmillonem è ludo rudibus secum batuentem, (ferulis velitantem) & sponte prostratum confodit ferrea sicca, ac more victorum cum palma discurret*. *Batuere* est verberare, pugnis & verberibus se exercere; hinc *batuere pugnatoris armis* cap. 54 p. 268, de quo verbo Laurenbergius in Antiquario pag. 52. Vossius Etymologico p. 67. Stoliditatem summam arguit, quòd aliquando noctu convocabat Senatum, *ὡς ἐπ' ἀναγκαῖόν τι βέλευμα*, quasi ad necessariam deliberationem, cumque Senatores primarii adessent, quasi ipse rem magnam perageret, *ὡς χήλας*, saltavit. Accedant & aliæ in ludicris ineptiæ vel potius nova insanix instrumenta. Fabricabat de Cedris *Liburnicas naves*, gemmatis puppibus, versicoloribus velis, magna *thermarum & porticuum & tricliniorum* laxitate; magna que etiam *vitium & pomiferarum arborum varietate*, quibus discumbens de die *inter choros ac symphonias* littora Campaniæ peragraret. Magnam navium capacitatem fuisse oportet, in quibus & thermæ & porticus unà cum viridariis & pomariis. Margites noster *mature*, antequam esset Cæsar, *scenas*, saltandi canendique artes studiosissimè appetebat, facile id Tiberio patiente, si per has mansues fieri posset *ferum ingenium*, Suetonio scribente. Postea Cæsar & in Cæsare factus *mancipium vitiorum, & ludicrorum sectator* ridicu-

diculus, ἤρχετο μὲν ὑπὸ τῶν ἀρμηλατάντων καὶ ὑπὸ τῶν ὀπλομαχέν- Dio lib.
των. ἐδύλευε δὲ τοῖς καὶ τοῖς ὀρχησαῖς, καὶ τοῖς ἄλλοις, τοῖς περὶ τῶν 59.p.738.
σκηνὴν ἔχουσι. Ἀρμαλά τε ἤλασε, καὶ ἐμονομάχησεν. ὀρχήσῃ τε ἐχρήσατο,
καὶ τραγωδίαν ὑπεκείνατο. *Ab aurigis gladiatoribusque regebatur,*
servus histrionum & scenicorum hominum. Aurigavit & pugna-
vit, & saltavit, & tragœdiam egit. Καὶ ταῦτα μὲν πρ, quod detestan-
dum erat, ἀεὶ ἐποίῃ, & hæc erant studia quotidiana. Fabularum a-
ctores, histriones, ludiones, saltatores, in Caji quotidianâ consue-
tudine. Tragœdorum ἐὰν ἀτὰρ ἀρχὴν ἀπέλλετο ἐν τῷ δημοσίῳ
συνόντα ἀεὶ εἶχε, *semper & in publico secum habuit.* Quotidie ferè
fabula peracta fuit, eodem ibidem teste Dione. Pantomimum Dio lib.
Mnesterem inter spectacula osculabatur, Suet.c.55.p.268. Praefinæ 59.p.738.
factioni aurigarum deditus cœnabat assiduè in stabulo, & mane-
bat, teste Suetonio, instar vilium de plebe hominum, qui totos c.55.p.
dies solebant in Circo perstare, pro domibus excubare auriga- 269.
rum, quibusque, ut Marcellinus habet, *templum, & habitaculum,* lib.28.p.
& concio, & cubitorium, & spes omnis Circus est maximus. Illud 374.
cubitorium hæctenus ignotum fuit, cùm Codices, Regius & Flo- Annotat.
rentinus, habeant *capitorum*; Augustana editio, *compitiorum,* p.369.
notante Valesio, ubi non admittit, quod Salmasius voluit, *copia*
eorum, ipse verò cùm conjectare aliud non posset, omisit corre-
ctionem, & excussit malè scripta Codicum verba, nihil subdens
in locum. Relictis nugis Cajanis Milesiisque fabulis jam venimus
ad rabiem hujus Margitæ cerebrosi sine cerebro. Memorat *caedes*
Aufonius primo loco, & ut nullum vitium prætermitteret, *omni*
vitio inquinatissimum facit; cuius distichon primo notamus loco:

Cædibus incestisque dehinc maculosus, & omni
Crimine pollutum qui superavit avum.

Cæsar.
v.3.

Exempla crudelitatis recenset Dio lib.59.p.743, ubi ait omnia e-
gisse, ὅσα βέλοιο, *quæcumque voluerit*, liberum à legibus, summamq;
ex cædibus voluptatem cepisse, maximè gladiatoriiis cædibus,
quod ipsum etiam docetur pag.745,746,755. Exempla aliquot
eorum, qui in fontes à Caligula erant necati, recenset idem lib.59.
p.751,752; idemque Tiberii atrocità facta in Senatores coram Se-
natu laudabat, l.59 p.748; quæque crudelitate sævierit in Senato-
res, Equites, Matronas, alios, docet exemplis Joh. Jovianus Pon-
tanus

tanus lib. de Immanit. p. 317, 318. Pauca è multis recensenda. Me-
 liores viros, quàm esse quosquam tyranno expedit, tyrannis tol-
 lit. *Repente casis*, inquit Victor, *primum vario facinore innocen-*
tium paucioribus, tanquam bellua hausto sanguine ingenium exer-
cuit; itaque deinceps triennium consumtum, cum Senatus atque
optimi cujusque multiplici clade terrarum orbis fœdaretur. Conso-
 brino suo Ptolemæo, Regis Jubæ filio, *cruentam mortem persol-*
vit, teste Suetonio, & causam addit Dio, ὅτι πλεῖται, *quod dives es-*
set; vel potius, ut Suetonius habet, percussit, quod, edente se munus,
convertisse hominum oculos fulgore purpureæ abolla animadvertit.
 Sic *Macronem*, cujus operâ ad imperium pervenit, pro merito-
 rum gratia interfecit, de quo postea. Impius fuit in socerum, M.
 Silanum, βαρὺς ὑπὸ τε τῆς ἀρετῆς καὶ ὑπὸ τῆς συγγενείας ὄν, *quia fuit*
molestus ob virtutem & propinquitatem, eumque ludibriis & con-
 tumeliis suis eò adegit, ut manus sibi inferret. Crudelitatem in
 Canio Julio, viro in primis magno, ostendit Seneca, quem *Cajana*
cladis portionem magnam vocat, & ejus in historiâ, quam cum cu-
 râ recitat, monet obstinatum in proposito crudelitatis animum
 gessisse. Nota, ait, erat *Caji in talibus imperiis fides*. Viginti sex E-
 quitibus casis τοῖς φόνοις αὐτῶν ὑπερέχαιρε, καὶ τῆς τῆ ἀίμας ὁ θεῶς
 ἀπλήτως εἶχε, *summam ex istis cadibus voluptatem cepit, sanguinis*
effusi spectaculo citra satietatem intentus. Pari spectaculo Parentes
 supplicio filiorum interesse cogebat, teste Suetonio. Quosdam oc-
 cidi jussit, quod per *Genium suum* nunquam dejerassent. Jurabant
 per *Genium Cæsaris* aut *Genios Cæsarium*, de quâ jurandi formu-
 lâ Ulpianus: *Si quis juraverit in re pecuniariâ per Genium Princi-*
pis, dare se non oportere, & pejeraverit, fustibus is est castigandus. Vi-
 dendus *Torrentius* ad Sueton. p. 313. Tyrannicum fuit quod ali-
 quando legem proposuit *minutissimis literis & angustissimo loco*,
 ut nec cognoscendi nec describendi cuiquam prompta esset facul-
 tas. Leges & edicta ferebat, non ut legibus ligaret cives, unde bo-
 ni efficerentur, sed ut irretiret, pœnisque non præmiis, afficeret,
 notat enim Suetonius, minutis adè literis proposuisse edicta, ut
 non nisi ab acutissimo Lynceo legi potuerint, quò plures igno-
 ratione peccantes caperet & mulctaret. Tyrannicus nefandæque
 sævitix dirus mos fuit *pereuntis parcere morti*, quâ asperitate atroci

non temere in quenquam, nisi crebris & minutis ictibus animadver- Suet. c.
ti passus est, perpetuo notoque jam praecepto ita fieri, ut se mori sen- 30. p.
riat. Extremæ sævitiae exemplum hoc est, longis & lævis cruciati- 248.
bus infligendis delectari, in quorum numero erant mucronum
acutissimorum crebræ fodicationes. Tyrannicum fuit, os inserta
spongia includi, ne vocis emittendæ esset facultas. Id retulit Sene-
ca 3. de Ira 19. p. 447, & addidit: Cui unquam morituro non est reli-
ctum, quâ gemeret? Timuit, ne quam liberiore vocem extremus
dolor mitteret, ne quid, quod nollet, audiret. Morituris os pannis
conscissis farciebat, quam exagitans ibi sævitiam Seneca dicit:
Quæ ista sævitia est? Liceat ultimum spiritum tradere; da exituræ
animæ locum. Tyrannus ni periisset, propoluit, Antium, deinde Suet. c.
Alexandriam, commigrare, interempto prius utriusque ordinis 49. p.
electissimo quoque, ideoque duos habebat libellos; alteri GLA- 264.
DIUS, alteri PVGIO index erat. Ambo notas & nomina conti-
nebant morti destinatorum. Inventa & Arca ingens, variorum
venenorum plena, quibus mox à Claudio demersis infecta maria
traduntur, non sine piscium exitio, quos enectos æstus in proxi-
ma littora ejecit. Hoc per venena studium nocendi depingens
Suetonii verbis Orosius, concludit quæ dixerat piâ crisi: Ma- p. 584.
gnum indicium miserantis Dei, propter suffragium gratiæ in popu-
lum continuo ex parte crediturum, & propter iræ temperamentum
in populum, tunc infideliter obstinatum, ut quanta multitudo homi-
num præparatam mortem evaserit, ex multitudine interfectorum
piscium disceretur, omnibusque notesceret, quid tanta veneni moles
arte aucta agere in miserâ civitate potuisset, quæ negligenter effusa
etiam maria corripit. Hactenus hæc de Tyranno pauciora, & ex
fide Suetonii ac Dionis, sique aliorum exemplorum est deside-
rium, id ex illis noscere licet. Si quid in his non continetur, aliun-
de copia erit, vel ex Josepho, vel Philone. Quod de cædium re-
ensione Dio, id & nos: Καὶ τὰ μὲν τῶν ἄλλων εἰδέν δεῖ λεπτολογεῖν lib. 59. p.
μάτην τῆς ἀναγνωστέας διοχλεῖν. Singulis accuratè recensendis lecto- 751.
ri frustra molestiam exhibere non est opera. Missis itaque exemplis
crudelitatis, aliorum fit narratio. Imperium ingressus Cæsar the-
sauros maximos à Tiberio relictos brevissimo tempore exhaustit;
nam cùm vicies ac septies millies sestertiûm, h. e. 66 milliones seu
sexcen-

pag. 60.

in Ner. c.

30. p. 343.

Suet. c. 55.

p. 269.

c. 37. p.

254.

c. 37. p.

254.

sexcentas sexaginta tonnas auri, & quinquaginta præterea millia aureorum Tiberius coegisset, primo anno, ut Sleidanus summam colligit, absumsit. Hanc prodigalitatem stupidam & stupendam tradunt Dio lib. 59. pag. 735 & Suetonius c. 37 p. 255, qui tamen in summæ numero & temporis spatio dissentiunt. Suetonii verba sunt: *Immensas opes, totumque illud Tiberii Caesaris, vicies ac septies millies sestertiūm, non toto vertente anno absumsit.* Cajo moribus similis Nero hanc prodigalitatem, ipse promptissimus ad profundendum, commendabat, teste Suetonio. *Laudabat (inquit) mirabaturque avunculum Cajum nullo magis nomine, quam quod ingentes à Tiberio relictas opes in brevi spatio prodegisset.* Quanta profusio, & quidem erga vilissimam personam, quod agitatori comessatione quâdam in apophoretis vicies sestertiūm detulit. Apophoreta, quæ græcis ἀποφώρα καὶ ἐπιφορήματα, aliàs τραγήματα καὶ δευτέρας τραπέζας, inde Latinis *secunda mensæ*. Propriè apophoreta dicebantur, quæ convivis dabantur domum auferenda, nam ἀποφέρειν, auferre. Ingenium ad luxum & comessationes si desideras, quis major erit Cajo? Novæ gulæ Dominum describit novè Suetonius: *Commentus est portentosissima genera ciborum, unguentis calidis frigidisque lavabatur; pretiosissimas margaritas, aceto liquefactas, sorbebat; convivis ex auro panes & obsonia apponebat.* De admiranda hac prodigalitate Seneca Consol. ad Helviam c. 9. p. 634: *C. Caesar, quem mihi videtur rerum natura edidisse, ut ostenderet, quid summa vitia in summa fortuna possent, centies sestertio cenavit uno die, & in hoc omnium adjutus ingenio vix tamen invenit, quomodo Provinciarum tributum una cœna fieret.* Ubi communis illa parsimonix utilitas, sine quâ rectè nec plenè vel magna regna regi possunt? Tollitur tota à Cajo, toto in aleis, computatione & heluationibus, ad dedecus & interitum regni. *Bacchantem & grassantem exhibet Suetonius c. 56 p. 269; cantantem atque saltantem c. 54. p. 268; scortantem & lenocinantem c. 41 p. 258, c. 36 p. 253; rapinas agentem c. 38 p. 255; & quæ alia sunt studia nefaria, quæ in mentem venerant.* Inspice, quæso, hæc verba Suetonii: *Nepotinis sumptibus omnium prodigorum ingenia superavit.* Nepotini sumtus sunt luxuriosi; & nepotatus, sicut in quinque exemplaribus hic legit Casaubonus, est luxuria & voracitas; cujus ratio sumenda ex verbis

Bis Festi: Nepos luxuriosus à Tuscis dicitur; nam Nepotes sunt luxuriosæ vitæ homines appellati, quòd non magis his res sua familiaris cura est, quàm iis, quibus Pater Avusque vivunt. Geminam dat causam Cl. Vossius, cur prodigis nepotum nomen impositum sit. Nepotatu nobilis fuit Cajus, commentus novum balnearum usum, portentissima genera ciborum atque coenarum. Summa omnia in Augusto habuimus ad summam gloriam & laudem, hîc omnia ad vituperium. Frugalitatem amavit Augustus, regnum ornavit præclaris operibus, dicavit Deo templas; sed amat prodigalitatem Cajus, Deusque ejus Venter est, ejusque gloria ἐν αἰχρόνῃ καὶ ἀδίαργεῖα, in turpitudine & impudentiâ, quodque Augusto pro gloria erat, id Cajo erat de decus. was bey ehrlichen Leuthen ein Schand wahr/ das war bey Cajo ein Ehr. Illa diligentia non habebatur in ultimis apud Augustum, ut is esset cultus corporis, is vestitus, ea frugalitas mensæ, quæ mediocris esset. Plurimum confert ad discendam temperantiam exemplum Regis, paucis contenti, eamque virtutē quòd rariorem in Magnatibus videmus, hoc in Augusto laudamus magis. Cultus corporis erat omnis lenocinii expers; vestisque placuit non exotica, sed de domestica manu Gynecæi sui cõtexta. Vestem non temerè alia, ait Suetonius, quàm domestica usus est, ab Uxore & sorore & Filia nepotibusque confectâ. Ita placuit (placeant verba Senecæ) non ex arculâ prolata vestis, non mille ponderibus aut tormentis splendere cogentibus pressa, sed domestica & vilis, nec servata, nec sumenda sollicitè. Placuit cibus parabilis facilisque. Luxum neque in cibo & potu, neque in vestitu, amavit Augustus, neque confusionem illam vivendi in largioribus commestationibus ferre potuit. Meminit Suetonius Principem eum fuisse cibi minimi, & appetiisse pisciculos minutos, & caseum bubulum manu pressum, Handkäse/ qui manu figuratur, teste Columella, ubi ait, notissimam esse rationem faciundi casei, quem dicimus manu pressum. Ut mentis compositæ fuit Augustus, ita omnia temperavit, modum faciens sumtui reliquisque ornamentis Aulæ. Moderatus fuit in iis, quibus Principum animi solent plausus captare, non ex sermone publico sed ex facto petens gloriam. Non circa victum, vestitum aut alia servitia elegantix conquirenda curiosus aut anxius. Dat expressa testimonia Suetonius. Instrumente ejus & supelle-

col. 127.

Ety. p.

341.

c. 73. p.

131.

de Tran-

quil. c. 1.

p. 519.

c. 76. p.

133.

l. 7. c. 7.

p. 203.

c. 73. p.

131.

supelle-



supellectilis parsimonia apparet etiam nunc, residuis lectis atque mensis, quorum pleraque vix privata elegantia sunt. Ne toro quidem cubuisse ajunt, nisi humili & modicè instrato. Placuit Augusto non in ambitionem cubile compositum, non in luxum mensa instructa. Quæ verò placuere in aulâ Caji? Omnia contraria, honesto omni sublato, frugalitate omni expulsâ, qui ex summâ prodigalitate redactus ad inopiam, rapinis animum adjicit, non sine avaritiâ, quod docet capp. 38, 39, 40, 41, 42 Suetonius. Initio capituli 38 ait: *Exhaustus atque egenus ad rapinas convertit animum, vario & exquisitissimo calumniarum, & auctionum, & vectigalium genere.* Initio capituli 40: *Vectigalia nova atque inaudita exercuit, nullo rerum aut hominum genere omisso.* Initio cap. 42 p. 259: *Edixit & strenas in-eunte anno se recepturum, stetitque in vestibulo adium Kal. Januariis ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat.* Erit tandem, quod dicemus de Aleâ, quam inter rapinas & perjuriam exercuit, mente aleatoribus consentaneâ, de quo liberè loquentem Suetonium audi. *Ac ne ex lusu quidem alex compendium spernens plus mendacio atque etiam perjurio lucrabatur; & quondam proximo collusori demandata vice sua quod progressus in atrium domus, cum pretereuntes duos Equites Romanos locupletes sine morâ corripere confiscarique jusisset, exsultans rediit, gloriansque nunquam se prosperiore aleâ usum.* Quali Principi regendus populus Rom. fuerit commissus, ex hac colluvie malorum exemplorum æstima. Longum esset dedecora omnia referre, & recensione rerum spurcarum nil molestius. Nil omissum à Suetonio, denuntiatum, quod accidit. Malè quidem meritis de Caji Suetonius, optimè verò de historiâ. Quod Beroaldus præfatus fuit in Caligulæ exordio, eo nos concludimus: *Non tam homo dici meretur quam portentum, in quo nihil hominis fuit, præter effigiem.* Non potest vita Caligulæ impura placere, nisi impuro & omnibus probris maculoso. Caligulam Monstrum dixit Suetonius. Quid si plusquam monstrum appellitemus? Quid si dicamus eodem modo de Nerone, Tiberio, Domitiano? Quæ enim monstra tantas clades attulere, atque Caji, Neronis, Tiberii ac Domitiani?

p. 255.

p. 257.

c. 41. p.
258.

p. 164.

c. 22. p.
239.

3. Diversas uxores non tam duxit quam dimisit, *Juniam Claudillam*, M. Silani filiam; *Orestillam*, Calpurnii Sponsam; *Enniam*, uxorem Macronis, Præfecti Prætorio; *Lolliam Paulinam*, Memmii Reguli conjugem; *Miloniam Cæsoniam*, adulterio prius sibi cognitam.

Quid de re uxoria Caji agemus, cui omnis ferè vita acta fuit inter scorta & adulteria? Sicut in castrensibus rebus malè caligatus fuit, sic in conjugalibus rebus. Matrimonia exegit variè, ut non facile queas cum Suetonio discernere, ea *contraxerit turpius, an dimiserit, an tenuerit*, cap. 25. p. 243. Nulla reverentia fuit conjugii, tyrannicè egit in divortiis, & sicut à servo exigit Dominus, ita Caji imperavit perducì ad se uxores, etiam maritatas, præter institutum agens. Conjugio accepit *Juniam Claudiam*, M. Silani filiam Tac. 6. A. 20, 1. Suet. c. 12. p. 229; post cujus mortem Macro uxorem suam *Enniam* immittendo amore juvenem inlicit, pactoque matrimonii vincit, 6 A. 45. 7. Amissa ex partu *Junia Enniam Næviam*, Macronis uxorem, sollicitavit ad stuprum, pollicitus & matrimonium suum, si potitus imperio fuisset, deque eare & jurejurando & chirographo cavuit. Altera fuit uxor *Orestilla*, quam Sponso Calpurnio Pisoni ipsis nuptiis ereptum ivit, sed vix secundo mense ejus consuetudine satiatus unà cum Pifone relegavit, teste Dione. De ea libidine agendi Suetonius: *Liviam Orestillam C. Pisoni nubentem, cum ad officium & ipse venisset, ad se deduci imperavit, intraque paucos dies repudiatam biennio post relegavit, quod repetisse usum prioris mariti tempore medio videbatur. Alii tradunt adhibitum cœnæ nuptiali mandasse ad Pisonem contra acumbentem. Noli uxorem meam premere, statimque è convivio abduxisse eam secū, & proximo die edixisse Vxorē. Eo perverso modo Lolliam Paulinam marito Memmio Regulo ademit, sibi que junxit; καὶ ἐν δὺς γὲ ἐκείνῃ ἐξήλασεν, sed & eam statim missam fecit; de quo Suetonius:*

Suet. c. 12.
p. 229.

lib. 59. p.

741, 742.

c. 25. p.

243.

D.

Lolliam

*Lolliam Paullinam, C. Memmio consulari, exercitus regenti, nuptiam, facta mentione Aviae ejus, ut quondam pulcherrima, (ac inde in Nepte quasi regenerata) subito ex Provincia evocavit, ac perdu-
ctam à Marito conjunxit sibi, brevique missam fecit, interdicto cu-
jusquam in perpetuum coitu. Imperata non facere, crimen fuisset,
indeque, ne sibi illud impingi possit, bonus Memmius, & ab eo
potissimum, qui Tyrannum ageret, tanquam mandatorum obser-
vantissimus uxorem affert, Cajo desponsat, non tanquam mari-
tus, sed tanquam Pater, impulerat enim Memmium, quod Euse-
bius scribit, ut uxori suae Patrem esse se scriberet, in dotali instru-
mento, ne παρά τὰ νόμους, praeter leges, duxisse videretur, explicante
Dione. Loliam Paulinam scribit Plinius se vidisse in sponsalium
cerimoniarum coenâ smaragdīs margaritisque opertam, alterno
textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus
digitisque, vocatque Matronam Caji. Exturbata sive repudiata
uxore Paulinâ, ut sterili, τὸ δ' ἀληθές, ὅτι διακορῆς αὐτῆς ἐγεγόνη,
sed re vera, quia satietas ejus ipsum ceperat, Miloniam Cæsoniam
duxit, ἢν πρότερον μὲν ἐμόιχευε, adulterio sibi prius cognitam, quam,
quia jam erat gravida, duxit, ut tricesimo die ex eâ Pater fieret. Cæ-
sonia fascinatione aut aliis artibus dementavit Caligulam, de quo
Suetonius: Creditur potionatus à Cæsoniâ uxore, amatorio quidem
medicamento, sed quod in furorem verterit. Eâ ex opinione Juve-
nalis scribit gravia urbi illata à Caligula, furiis agitato à Cæloniæ
medicamento potionato, hippomane nempe, unde tot caedes, tot
supplicia provenerint. Sunt autem versus Sat. 6. v. 615.*

Tamen hoc tolerabile, si non

*Et furere incipias, ut avunculus ille Noronis,
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli,
Infudit. Quae non faciet, quod Principis uxor?
Ardebant cuncta, & fractâ compage ruebant,
Non aliter quàm si fecisset Iuno maritum
Insanum.*

*Non aliter totus orbis concussus est, quasi fractâ compage, (in-
quit) in furorem verso Caligula, quàm si Jupiter fuisset irâ Juno-
nis excitus in furorē. Philtro quasi venenato correptum supplicio-
rum genera exercuisse dicit, ille enim, teste Suetonio, omne sa-
vitiae*

vitæ genus vel minima offensa exercuit; Equestrem quoque Ordinem & Senatorum furens laceravit, eodem dicente; unde illa Juvenalis verba veniunt explicanda, de portione illa terram possidente in cædem hominum, & cruciatuum in homines causam dante:

*Hæc poscit ferrum atque ignes; hæc portio torquet;
Hæc lacerat mistos Equitum cum sanguine Patres
Tanti* partus equæ; tanti una Venefica constat?*

* hippo-

Nec in amore dedecus tyrannidis occulit, ex ingenio suo ita explicans gaudia connubii, ut sibi non deesse mentem adversus affectum conjugalem adversam palam dixerit. Quoties uxoris vel *Suet. c. 33. p. 251.* amicula collum exosculetur, addebat: *Tam bona cervix, simul ac jussero demetur.* Dirissimæ immanitatis dictum hoc esse Casaubonus dicit. *p. 429.* Quid si ab amore fuit locutio; & veniam dabis generi Caji? Majorem forsân suo judicio, quod corruptum erat, quaesivit occasionem obligandæ sibi voluntatis & confirmandi amoris. Liberè omnia loquitur Tyrannus, ex qualicentia subinde jactasse Suetonius retulit, *exquisiturum se vel fidiculis de Cæsonia sua, cur eam tanto opere diligeret.* Si in complexu suarum Conjugum rabiosus hæc lupus dixit, quid pertulisse alios putabimus, qui extra necessitudinem fuere? Ubi prisca sanctimonia matrimonii, ubi prisca gravitas & virtus? *Probis non nisi ex matrimonio solatium,* ait Agrippina apud Tacitum. Nullum hic solatium, nulla spes beneficentiæ, Cajo Conjuges & conjugium respergente probris & opprobriis. Sed probosorum Caji conjugiorum sit finis, quando in iis sine fructu est nostra lectio. *4 A. 53. 2.*

4. Matronas nobiles in Palatio publicæ libidini exponit; tribusque Sororibus suis stupra intulit, quas postea exilio damnat.

Sicut illuvie libidinis animum corruptit Cæjus, ita diffamavit Aulam imperatoriam manifesto exercitio voluptatum fœdissimarum, ex eâ faciens cloacam meretriciorum studiorum. Piaculum est, non diffitemur, scelestâ studia proferre, aut in ea com-

D 2

men-

e.41.p.
258.e.40.p.
248.e.24.p.
242.

mentari, sed simplici verborum parsimoniâ religiosis auribus offerimus verba Suetonii, ut cum detestatione audiantur: *Lupanar in palatio constituit, distinctisque & instructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matronæ ingenuique starent. Misit circum fora & basilicas nomenclatores ad invitandos in libidinem juvenes senesque, præbita advenientibus pecunia fenebris, appositique, qui nomina palam sibi notarent, quasi adjuvantium Caesaris redditus. Quem non pigeret talia describere? Nihil interim optatius accidit Cajo, ut non tam Princeps in detestationem veniat, quàm illustre lupanar aulicum. Lucra ex re turpissimâ collegit, quàm vel quivis cupidissimus mercator ex mercibus suis, vel publicanus fordidissimus ex publicis sive vectigalibus. In tributi sortem veniebat ex capturis (mercedibus) prostituerarum, quantum quæque uno concubitu mereret; additumque ad caput legis, ut tenerentur publico, & quæ meretricium, & qui lenocinium fecissent; nec non & matrimonia obnoxia essent. Proh scelus hominis! Aliud improbitatis scelus audi longè scelestius, quod vix suspicari queas in Imperatore. Eò impietatis ventum fuit apud Cajum, ut ne à Sororibus quidem abstineret bipedum nequissimus. Quæ tanta est audita impudicitia de ullo Cæsare? Scelus nefandum tradunt Joannes Antiochenus p. 805 & Suidas col. 858: *Μοιχικώτατος τε ἀνδρῶπων γενόμενος, καὶ γυναῖκας ἡμεροσμένας καὶ γεγαμημένας ἐλάμβανε. τὴν τε ἑαυτοῦ τιθήνην, ἐπιτιμήσας ἀνοίας, ἐσ ἀνάγκην ἐκκοίβει θανάτῳ κατέσπασεν. Ἐξήντη δὲ καὶ ταῖς ἀδελφαῖς, καὶ τῶν παρανόμων ἐκοινῶν μίξεων.* *Omniū maximus adulter & scortator uxores desponsatas & nuptas abripiebat. Aviam suam has intemperies castigantem ad voluntariam necem compulit. Sororum consuetudine usus est, & incesto coitu. Idem habet Dio lib. 59 p. 736; & quæ græcè dicuntur à Dione, ea à Suetonio Latinius scribuntur, hæcque recensemus verba: *Cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit. Ex his Drusillam vitiasse virginem, prætextatus adhuc (puer, nondumque integræ ad hanc rem ætatis) creditur. Mox Lucio Cassio Longino consulari collocatam abduxit, & in modum justæ uxoris pro palam habuit. Quanto in pretio habuerit hanc sororem, enumerat, deque segniori amore in cæteras sorores pergit p. 243: *Reliquas sorores nec cupiditate tanta, nec dignatione dilexit, ut quas sæpe exole-****

exoletis suis prostraverit. Non stupra tantum tribus sororibus in-
 tulisse notat Eutropius, sed *ex una etiam natam filiam cognovisse.* pag. 654.
 Libidinibus hisce suis horrendis etiam, teste Orosio, illud sceleris p. 583.
 adjecit, ut sorores stupro pollutas *exilio damnaret, quas post omnes*
simul exules iussit occidi. Sororibus omnibus vitiatis duas ἐσ νῆσον
 κατέκλεισεν, *insulam conclusit, tertia soror morte id exilium præver-*
tit, teste Dione lib. 59. p. 736 & 755, ubi Insulam Pontiam vocat,
suntque verba: Τὰς Ἀδελφὰς, ἐπὶ τῇ συνβοίᾳ αὐτῆς, ἐσ τὰς ποντίας νῆσους
κατέκλειστο, πολλὰ περὶ αὐτῶν καὶ ἀσεβῆς ἔασε ληΐ τῶ συνεδρίῳ ἡγάσας.
Sorores suas, quarum per incestum indulserat amori, in Pontias
Insulas relegavit, eas accusans per literas apud Senatum multa impie-
tatis ac libidinis. Relegatis sororibus non solum *insulas* se sed &
gladios habere dicebat, teste Suetonio. Pænæ genus erat relegatio c. 29. p.
 in insulas, exilii species. Exilii genus triplex erat, teste Marciano, 248.
 aut *certorum locorum interdictio*, ne ii adeantur; aut *lata fuga*, ut leg. 5. D.
 omnes loci præter certum unicum interdicantur, e. g. cum quis ex- *de interd.*
 tra territorium civitatis suæ digredi prohibetur; aut denique *Insu-* *et releg.*
le vinculum, cujus insularis vinculi collatione *lata fuga* dicitur.
 Misertus exulum Caji sororum Claudius eas ab exilio reducit, *lib. 60 p.*
 Dione memorante. Caju sine lege Tyrannus, scelus regni, parri- *766.*
 cidiiis, incestis, stupris, adulteriis, cædibus, etiam innocentium,
 ducebatur liberiùs, quò impudentiùs imperabat. Memorat di-
 ctum ejus Suetonius factis congruens: *Memento mihi omnia & in* c. 29. p.
omnes licere. Propudiosa licentiæ responsum hoc dedit Antonia, *248.*
 Avia suæ, monenti, ut quædam aliter ageret, habita ratione ho-
 nestatis & justitiæ. Muniantur sanè Principes præsidio majore,
 sint *soluti legibus*, quod certo respectu iis tribui solet, non soluti
 tamen sunt legibus honestatis & justitiæ, nam justitia major est,
 quàm ut ea possint liberari, sine qua imperium degenerat in latro-
 cinium, & Principes fiunt Tyranni, quorum tunc vox est cum
 Cajo, *licere sibi, quod libet*, quam vocem tyrannicam cum inter
 apophthegmata Erasmus recenset, addit: *Talia portenta tum Prin-* *lib. 5. p.*
cipum titulo pertulit mundus, quæ non commemorarem, nisi ut ex his *252.*
Principibus prodigiosa feritatis horror incutiatur. Tyranni arbi-
 trantur sibi licere omnia ex animi sententia, judicantque posse se
 quidvis in omnes statuere sine impunitate, atque ex hoc animo
 impu-

impuro omnis generis injuriæ & injustitiæ dimanant, quæ aliæ esse debent ab Imperatoribus, iniqua namque regna nunquam perpetuo manent, & ubi non pudor est, nec cura Juris, sanctitas & fides, instabile est regnum; soletque sæpe fieri, ut ipsi Tyranni à suis subditis ob nimiam crudelitatem & violentiam è medio tollantur, quod etiam Cajo tandem contigit, qui sibi permissum putabat, ἐξω τῆς νενομισθετημένης παρ' αὐτὸν ὅλα βέλοισι δρᾶσαι, *liberum à legibus omnia agere ex animi libito posse*, Dio lib. 59 p. 743. Hoc solenne Tyrannorum dictum perversæ mentis est, & linguæ Tyrannicæ Caji proprium, in cujus stabulo aulico miscebantur cupiditates libidini, dies & noctes in stupra & adulteria dividebantur, comestationum varijs exemplis certabatur, omnis verecundia exuebatur, nihilque defuit, quod esset ad malè agendum.

5. Doctorum & Literatorum osor, & iniquus Jurisconsultorum censor. Bonos Consiliarios suo malo ejicit, & improbissimos quosque fovet. Salutaribus monitis Maronis, Præfecti Prætorio, refragatur, eumque ad laqueum adigit.

Literarum amor & studium, quod Cajo fuit in juventute, nullum fuit, in honore cum esset summo. Novum hoc non esse solet, ut Principes, quod bene inceperunt, intermittant, contemtim loquantur de literis, invehant in literatos. Cajum illi osores malevoli habent præeuntem, qui primis annis complectebatur studia & eruditionis exercitia, quæ in illo erant non vulgaria, & in quibus aliquod spatium tegerat. Fidem facit Josephus, his verbis: 19. A. 7. 2. p. 668. *ῥήτωρ τε αἰσθητός, καὶ γλώσση τῆ ἑλλάδι, καὶ τῆ Ῥωμαίοις πατρίῳ σφόδρα ἡσκημένῳ, Oratione valuit, sive vellet græca, sive patria lingua, utraque valde exercitatus.* Dicendi hanc vim in eo constituisse, etiam cum ingenio turbatur, Tacitus notavit paucis his verbis: 13. A. 3. 6. *Etiam C. Caesaris turbata mens vim dicendi non corrumpit.* Unicum hoc est, in quo æstimari potest, & ubi aliquod laudis specimen præ-

præbuit, in primis hoc opere, quo in urbe Lugdunensi certamen Latina Græcæque facundia instituit, ubi victi victoribus præmia largiebantur, referente Suetonio. Aræ Lugdunensis meminit Juvenalis, ad quam Rhetor dicturus erat, dubium hujusne an alterius instituti, eo versu:

Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Summæ virtutis summique ingenii Princeps Augustus amore immenso fovebat literatos, admittebat, colloquebatur, laudabat, extollebat, provehebat. Abominabatur Cajus ingeniosos doctosque, turpis infamisque vitæ Princeps, liberalitatemque bonis debitam convertebat ad malos, prorsus mutatus ab origine, in dies gravior factus literis & literatis. Quàm propenso animo erga bonarum artium studia fuerit Augustus, & quanta in doctos contulerit, alibi enumeravimus. Insigniter sceleratus Cajus, tota mente aversus fuit ab iis, in quibus doctrinam cum integritate vitæ cognovit. Pessimus factus Princeps Historiam odio habuit, metuens, ut vitia sua posteritati innotescerent. Excoluit historiam Augustus, bene egit, optimè regno profuit, unde adhuc bene in historiis audit. Excoluit latifundia Juris, Jureconsultos amavit, ad veram ex virtute & justitiâ laudem vitam suam composuit; inde adhuc commèdatur Jureconsultis. Alius verò Cajus, exterminationem quærens in turbatione omnium rerum Homeri, Virgilii, Livii, Seneca, & quod omnium pejus est, omnium Jureconsultorum. Verba id Suetonii probabunt: Cogitavit de Homeri carminibus abolendis; sed & Vergilii & Titi Livii scripta, simul & imagines, paullum abfuit, quin ex omnibus Bibliothecis amoverit; quorum alterum ut nullius ingenii minimæque doctrinæ; alterum, ut verborum in historiâ negligentemque carpebat. De Juris quoque consultis, quasi eorû scientia omnem usum aboliturus, saepe jactavit, effecturum sese, ne quid præter eum (quod sibi collibuisse) respondere possent. Egregium habes testimonium, in quo Caji perverfitatem agnoscas. Animum ejus fuisse audis ad abolenda Livii, Homeri & Virgilii exemplaria, & claudenda Jureconsultorum Tribunalia, ut nemo esset, qui de Jure posset respondere. Non Principem hîc vides, sed Midam auribus asininis. Qui Principes aurem non habent Camœnis, illi considerent, quod habet Plutarchus

c. 20. p.

238.

I. Sat. v.

43.

c. 34. p.

251.

Plutarchus

archus Orat. altera de fortuna vel virtute Alex. Magni: Ο δὲ
Σκυθῶν βασιλεὺς Αντέας, Ἰσμηνίαν τὴν αὐλητικὴν λαβὼν αἰχμαλωτῶν, ἐκέ-
λευσε παρὰ πότον αὐλῆσαι. θαυμάζοντων δὲ τῆ αὐλῆσῃ τῶν ἄλλων καὶ κρο-
τουῶτων, αὐτὸς ὤμοσεν ἀκροᾶσθαι τῶν ἵππων χερσὶν ἑταίρου ἠδίου. οὕτω
μακρὰν ἀπισκλωτῆκα τὰ ὄτα τῶν μουσῶν, καὶ πλὴν ψυχρῶ ἐν ταῖς φάτναις
εἶχεν, οὐχ ἵππων ἀλλ' ὄνων ἐπιτηδεύσαν ἀκούειν. τίς ἀνοῶν παρὰ τοιού-
τοις βασιλεῦσιν, αὐξήσις ἢ τιμὴ τέχνης ἡμοιοῖτο καὶ μούσης τοιαύτης; Scy-
tharum Rex Anteas captivum adeptus Ismeniam tibicinem iussit
inter pocula canere; cumque cantum ejus reliqui plausu & admira-
tione prosequerentur, juravit se suavius audire hinnitum equi. A-
deo procul is aures suas a Musis abduxerat, animumque in praesepi-
bis habebat, non equos, sed asinos, quos audiret, dignus. Quid pu-
tas apud tales Reges incrementi aut honoris artibus & Musicae futu-
rum? Cum aliquem adhuc honorem Musis Caius haberet, lauda-
ri se & praeferrigaudebit, inque metu multo cum esset orator Do-
mitius Afer, praesens periculum mortis evadit simulatione & adu-
latione, mirante Dione; cum enim Caius, Orator Oratorem ac-
cusans, vanitate eloquentiae orationem habuisset contra Domi-
tium, eamque de scripto; quae se oratione superatum simulans Do-
mitius respondit, se mirari vim orationis indeque obstupesceri,
θαυμάζειν καὶ κατὰπεπληῆχθαι τὴν δεινότητά τῆ Γαίης, quumque ius-
sus esset dicere pro se, πρὸς ἀντιβολίαν καὶ ὀλοφυσμὸν ἐτραπέτο, καὶ
τέλῃ ἐς τὴν γῆν κατέπεσε, καὶ χαμαὶ κείμενῃ, ἰκέτευσεν, ὡς καὶ τὸν
Ῥήτορα αὐτῆ μάλλον ἢ τὸν Καίσαρα φοβέμενῃ, ad deprecationem &
lamentationem se convertens humi supplicavit (Cajo, Oratorem quasi
eum magis metuens quam Caesarem. Inde stolidus Caius laetitia ex-
ultans, ἐπαύσατο ὀργιζόμενῃ, ira finem posuit. Atque ita eloquentiae
amissa damnatus (κατὰγνωσθεὶς μηκέτι δεινὸς εἶναι λέγειν) periculum
vitae effugit. Ipse suo imperio ducitur Caius, suo ingenio pervers-
issimo confidit, doctos contemnit, de Jure respondentes non au-
dit. Consurgit hinc contemptus, & res regni in diem deterior, nec
sua conditio per hunc contemptum melior evadit. Cavillabatur
voce & gestu liberalium artium & Philosophiae doctores, & acer-
bè Senecae gravissimi nomen & orationis genus incessabat. Intel-
liges verbis Suetonii: E disciplinis liberalibus minimum eruditio-
ni, eloquentiae plurimum attendit, quantumvis facundus & prom-
tus.

lib. 39. p.
 752.

c. 53. p.
 267.

*ius. Lenius comitiusque scribendi genus adeo contemnit, ut Senecam, tum maxime placentem, commiffiones meras componere, & arenam esse sine calce diceret. Admiratur in se Cajus ornatum & vehementiam orationis, & si perorandum in aliquem esset, dicente ibidem Suetonio, irato & verba & sententiæ suppetebant; pronuntiatio quoque & vox, ut neque eodem loci præ ardore consisteret. & exaudiretur à procul stantibus. In orationem totis viribus descendebat, sed nos in oratione Caji doctrinam copiamque Senecæ desideramus, quem & doctissimum & disertissimum in sententiarum ponderibus judicamus. Gravi filo ductæ sententiæ Senecæ stimulum relinquunt in animis legentium, & eloquentia in homine Philosopho tam gravis est quam utilis. Quò magis miramur, quo pacto facundum pectus Erasmi detulerit iudicio Caji, & scripserit: *Quanquam Caligula multa parum integræ mentis dedit argumenta, tamen in hoc iudicio minimum aberravit à scopo. Seneca fertur impetu quodam, minimè sensus ordini. Hoc inter egregias virtutes habet navi. Ma oberet arena, ni calcem admisceas.* Sentimus & facimus cum Beroaldo: *Non miror de Caligula, in Sueton. qui per insaniam iudicio caruit, sed de Quintiliano & Gellio, Viris doctissimis, qui Senecæ orationem infamare non desinunt, & ejus dicendi genus corruptum, & omnibus vitiis fractum esse tradunt, cum sententiosum, & sanctum, & eruditum sit, & severissimus morum castigator mihi videatur, cujus libros in manibus quotidie habeo, & habendos esse studiosis suadeo, non ut illis insit eloquentia vibrans, sed pressa & philosophica magis quam oratoria.* Volumus indicare iudicium Beroaldi de Senecæ unicum, magis quam de scriptis commendationem perquirere, quæ in promptu esset. Stilo suo sapiens Vir utitur, qui professioni stoicæ consentaneus. Sub stoâ loquitur & umbrâ, beneque utitur stilo ad formandos mores. Lautæ suppellex rerum ornat, totumque Senecam commendat; indeque delectatus fuit meritò Senecæ scriptis Beroaldus, admirans ingenium & doctrinam, nam plenus ingenio est Philosophus, plenus doctrinæ, & quod omni thesauro majus, plenus virtutis. Ipse Erasmus Senecæ lectionem ab utilitate commendat, copiam laudat, decretis Christi multa convenientia habere dicit. Orationis pondus in studio sapientiæ & virtutis quærendum. Aliter agendum non*

*Adag. 2.
3.57.P.
445.*

*T. 3. O-
per. p.
100, T. 1.
p. 829 &
T. 5. p. 77.*

E

non



non est ab iis, qui laudem facundiae quaerunt. Manibus obviis excipiendus Seneca, & imis sensibus condendus, paucis dentis. Excolenda est mens praecipis Senecae salutaribus, complendum pectus cognitione rerum speciosarum, ex quibus redundet oratio. Qui sine sapientia veterum recondita & doctrina virtutis strepitui tantum verborum, & numerosae intendunt orationi, loquaces habendi sunt, non facundi. Dictione eorum oritur in labiis, non ex pectore ducitur. Sermo eorum *calx sine arena*, aut *arena sine calce*; imò *commissiones merae*; quam locutionem ut capias, adi Casaub. in Suet. p. 439; Barth. ad Stat. 5. Theb. p. 404. Publicam opinionem de Senecae aliorumque doctorum Virorum lucubrationibus sequamur, & ex illa sententiam feramus, ipsis etiam Imperatoribus sanius iudicium ferentibus. Eò autem tolerantius in doctos feruntur convitia, quò levius Principes, dignitatis suae oblitii, pristinam probitatem commutare solent, & ornamenta familiarum negligere. Nunquam Caji suis criminationibus efficient, ut dignitas literaria, tantopere Augustis adamata, pereat. Redeat sapientis Augusti de literis literatisque honorificus sermo, & omnis detractio Caji in benedictionem vertetur, & qui oppugnant, propugnare incipient. Plus valet unius Augusti protectio, quam centum Cajorum maledica detractio. Leves Caligulae, mentes ad bene operandum firmatas, nunquam avertent. Seneca perstat & perstabit, dum erunt literae & literis stipendia. Livium nemo haecenus abolevit, sed ejus Commentarii (utinam omnes!) ad usum eximium adhuc prostant. Jus jurisque promptuarium licet Tyranno fuerit invisum, nondum tamen sublatum, sed durabit in Imperio perstabitque, Caji sublati. Omnem Jurisprudenciae usum aboliturus Cajius jactabat sese effecturum, ne quid de jure posset responderi *praeter eum*, ut vulgata habet lectio, ubi alii legunt, *praeter aquum*; quidam, *praeter eccum*, quam ultimam cur-
de Rep. Bodinus admittat non videmus, cujus verba sunt: *Turpiter peccant, qui Principum opes ac potentiam augere se posse confidunt, cum illis omnia licere, & illorum nutu, verbo, voce omnia jura, imperia, leges converti oportere jactant, ne quid in Rep. tam stabile sit ac firmum, quod eorum arbitratu non mutari possit, ut Caligulae in mentem venerat, qui etiam in Jurisconsultorum possessiones invadere*
ausus

ausus est, cum diceret, Faciam, ut nil rogantibus respondeant, nisi
 eccum, id est, ecce eum. Hec autem opinio in Principum animos
 sensim illapsa incredibilem ingenerat tyrannidis affectanda cupidita-
 tem. Astipulatur lectioni Corasius ad tit. de Orig. Jur. p. 234. Quis
 sit sensus verborum, satis cognovit Beroaldus, ita commentans: in Suet.
 Caligula volebat Legibus imperare, non parere, contra prescripta p. 185.
 Sapientissimorum; ideoque factabat se aboliturum usum scientia Iu-
 risconsultorum, que pertinet ad Legum interpretationem; legis enim
 scriptum angustum; interpretatio legis diffusa est, cujus ministri
 sunt Iurisconsulti, adeo ut quod dictum est de Magistratu juridico,
 idem dici possit de Iureconsulto, videlicet Iurisconsultum legem esse
 loquentem. Sublato itaque usu Iurisconsultorum Lex quodammodo
 muta fiet & filens, quocirca Cajus volens abolere interpretamenta
 Iurisconsultorum, poterat videri Leges ipsas tollere velle atque con-
 cidere, ut ipsius fadisime voluptates & placita insanissima pro Le-
 gibus haberentur. Ludibrio sub Cajo habebantur literæ & literati,
 & odio exponebantur Jureconsulti, quorum numerum prorsus
 tollere, vel ad paucissimos redigere voluit, quia non ea, quæ place-
 rent, respondebant. Altius descenderant mali publici radices,
 quam ut introspicere Iurisconsultorum oculi valuerint, eaque
 emendare mala. Judicia ea voluit esse Iurisconsultorum, ut prava
 judicarent recta, & testimonium Cajo darent suæ nequitiae magis
 quam veritatis, cumque detrectarent sinceriores Jureconsulti in-
 servire libidini Caji, immunes à flagellis non erant, commodis
 destituti. Tempestas hæc fuit gravis, fluctibus undique insurgen-
 tibus, idemque accidebat Jureconsultis, quod navigantibus sub
 ventis adversis. Non sunt navigantibus semper venti secundi, &
 cum in tempestate sunt nautæ, fluctuum contumelias & vim aquæ
 arte magis quam vi conantur evadere. Ita tum, cum perturbatum
 esset sub Cajo mare imperii, civilis vitæ homines & Jureconsulti
 in inopia consilii perferebant commotiorem Principem aliquan-
 do, donec ipsi tandem fluctus absorberent Tyrannum. Causa, tan-
 quam mare in fluctu, perturbatur; animus ei semper dubius & an-
 ceps. Vult & non vult, & in quam inclinabat partem, malè sana
 pars fuit. Curæ inanes erant, habebantur tamen graves & neces-
 sariæ. Quæ oblectamenta erant Caji, illa erant detrimenta populi.

6.18.p.
236.

6 de Pro-
vid. p.
221.

Diff. n.
16. p. 83.

Doctorum & Jureconsultorum nulla ratio habita ; adhibitique undique, qui instar Principis sui essent ad perniciem solertes. Civitas in summa licentia est. Facinorum impunitas corroborat audaciam. Nullus vitiorum metus; nulla Jureconsultis aut aliis bonis Viris, qui latitabant in consternatione & metu, reverentia. Quod impio Cajo in mentem venit, id sine penso impletur à satellitibus nequitiae; & ubi in præcipitia rapitur Princeps, temeritasque regnat, nullus saluti est locus. Nil geritur dignum officio imperatorio, plusque poterant, qui minus judicio aut consiliis valebant. Plus valebant privata exercitia gladiatorum & aurigarum quàm consilia publica. *Munera gladiatoria edidit; ait Suetonius, scenicos ludos & assidue & varii generis multifariam fecit; quosdam etiam & nocturnos, accensis tota urbe luminibus. Edidit & Circenses plurimos à mane usque ad vesperam.* Nullius interim ratio habita, quid imperio conveniret, quid ad majestatem regni pertineret. Omnes studiis illis vanis in gratiam Caji distrahebantur, deque illis quid aliud dicendum, quàm quod concepit Salvianus : *Quicquid immunditiarum est, hoc exercetur in theatris; quicquid luxuriarum, in palæstris; quicquid immoderationis, in Circis; quicquid furoris, in caveis. Ubique Demon.* Non in Gynecæis Regia est, non in stabulo equestri magnitudo, non in Circo magnificentia, non in luxu Majestas. Pietas, Justitia, Prudentia, Temperantia, Laborum patientia, Regem demonstrant. Nil sani in Aulâ Caji. Cum suo & regni dedecore homines alit & adhibet in consiliis, quibus exclusis aliâs Aulæ vigent. Adulatorum numerum auget, inque numerato habet Aurigas, Saltatores, Gladiatores, & ejusmodi furfuris homines alios, cum quibus communicavit sua consilia. De hac inutili turba Cl. Boecleri verba proferemus. *Vt quisque pessimus ac nefarius erat, ita in aula Caji plurimum potentia gratiaque valebat. Quo factum est, ut vilissima mancipia & infime sortis homines, ut amici, ut adjutores Principis, soli honoribus ornarentur, soli gerenda Reipublica adhiberentur. Ita Helicon ex scurra, Apelles ex tragædo & scorto consultores & amici Principis facti, fædisimarum rerum se auctores, ministros, amulos prabuere. His accedebant aurigæ, gladiatores, aliaque id genus aula dehonestamenta, quibus se abutendum regendumque ita permisit*
Cajus

Cajus ac tradidit, ut non minus libidinibus ipsorum servire, quam suis flagitiis obsequia eorum accommodare videretur. Erat inter ceteros districta malitia homo, omnium Cajo atrocium rerum minister Protogenes, fatalibus libellis instructus. Nil magis Principis fidem atque autoritatem violat ac tollit, quam usus delectatioque adulatorum atque delatorum, viliumque hominum. Majestatis suæ oblitus fuit omnisque honestatis Cajus, quod in fastigio dignitatis suæ indignos vilisque conditionis homines læto respexit oculo, exclusis bonis. Grave admodum fuit bonis à deterioribus anteiri, cum natura ita sit comparatum, ut animus bene institutus cultusque virtutibus difficile velit hebetioribus subesse, quorum munera dignitatis merito implere se posse noscit. Sic in Aulis videmus fieri, ut dignitates præripiant illi, qui indigni sunt, quique pejores, sint fortunatiores. Cajus posthabitis dignis minus dignos extollebat, & ignavos præponebat virtuosis. Quam hinc peccatur in Aulis Imperatorum, Regum & Principum creberrimè! Sub imperii sui initia usum fuisse Cajum φίλοις ἀξιολόγοις, honestissimis amicis, ait Josephus, quò facilius sibi bonam opinionem (δόξαν) pararet. Neglectis verò Amicis ingenuis dedit operam novis, sceleris omnis sociis, neglectâ regni curâ, miscens mala malis seque malum pessimis jungens, omnemque potestatem permittens. Gravia hæc mala erant Regni, remque Romanam videbat plenam laboris esse, ac penè desperationis Macro, qui ei familiaris fuerat. Bono tamen erat animo, confidebatque se posse aliquid efficere apud Cajum; partes enim fidelis Ministri aulici sunt, non negligere partes officii, & meminisse omnibus horis, fidelis prudentisque servitii famam futuram cum laude apud posteros majorem, quam in Aulâ torpenti & turpi. Curat ergò Principis negotia flectere ad aliquam rectitudinem, nec parcat monitis, fisis continuis in Principem officiis. Fidelitatem Macronis habebat quidem perspectam Imperator, sed libertatem loquendi pati nolebat. Rogat & obsecrat Macro pro conservanda Principatus Romani majestate; sed pro eâ fidelitate accepit nuntium ingratiissimi Principis, quo jubetur mori & ipse & uxor Ennia, μήτε τῆ ταύτης ἐρωί, μήτε τῆ ἐκείνης εὐεργετημάτων, δι' ὧν τάτε ἄλλα καὶ τὴν ἀρχὴν αὐτῶ μόνω συγκατέπραξε, μνησθέντι, neque amoris Ennia, neque Matronis beneficiorum

19. 2. p.

668.

Dio lib.

59 p. 743.

rum memoris, à quibus etiam ipsum consecutus fuerat imperiū. Promotus à Macrone, vel potius à Macronis uxore, Cajus capessit miro artificio, nec honorabili, imperium, sed promotorem & adiutorem imperii, ut vocat Suetonius, interficit, rependens benefactori & servatori pro maximis meritis gratiam pessimam adiutori imperii, proque meritorum gratiā cruentam mortem persolvit. Tertius Tiberius propter multas suspiciones Cajum, adoptione nepotem, ad necem postulārat, quem Macro, qui in ordine equestri primas tenebat, precibus & obsecratione tum non modò eripiebat, sed & defuncto Cæsare consiliis suis id effecit, ut Cajus solus in imperio succederet. Ast monstruosus Cæsar liberè aliquando monentem non tulit, sed illum cum uxore, quam stuprassè putabatur, omnibusque domesticis interfecit. Castigatorem, inquit Philo, impudenter rejiciebat. Interdum etiam procul venientem conspicatus, sic alloquebatur astantes: *Adest Præceptor jam supervacuus; pedagogus non amplius pueri; prudentioris seipso monitor, qui subdito Imperatorem obedire postulat. Monitionis itaque impatiens de suâ sibi prudentiâ cæterisque, ut credebat, dotibus blandiebatur. Audebitne, inquit, aliquis indoctus me, qui in materno utero & natura officina Imperator formatus fui, nondum in lucem editus, docere artes imperatorias, quas dudum probè calleo? Veritatem dum ferre non potest, nec libertatem admonendi, ad laqueum cogebat Macro-nem non aliū reum criminis, quàm optimarum erga Principem admonitionum; nec enim aliam, inquit porrò Philo, ingrati pro meritis referre solent gratiam. Hoc dum tradit veris autoribus, Philone & Dione, Cl. Boeclerus, plenissimè colligit: *Hanc mercedem tulere Conjuges, inter aule ambages ad flagitia dominationis imbuti, quibus pro Cajo quidem magna fidei opinione usi sunt, sed eventu parum prospero; beneficiorum enim, etiam cum bene & apud bonos collocantur, incerta sæpe & fluxa gratia est; at qui malis artibus bene de hominibus malis mereri student, hoc assequuntur, ut meritorum gratiam stultè ambivisse, & justè perdidisse videantur. Notent Aulici majores hæc exempla. Nimis frequens etiam hodie via per obsequia & officia mali moris ac subtilium nequitiarum, ad gratiam & opes in aula sternitur, sed ubi progressus fueris ultra, vestigium non nisi in lubrico figes, & impellent te in casum, qui ministeriis**

e. 26. p.

244.

de Legat.
p. 625.Diss. in
Suet. n.
17. p. 84.

tuus plurimums debere videbantur. Tyranni & Principes mali haud alios quàm se patiuntur Judices, ut arbitrium rerum omnium ex suo pendeat iudicio. Serò tandem penituit Macronem inutilis consilii, quo Cajum promoverat ad imperium, seriusque malitiam Principis corrigere studuerat, necessaria quidem animadversio- ne, sed cùm post longam patientiam adhiberetur, damnum & in- teritum attulit. Curent proinde, dum tempus est, avertere dede- cora Consilarii.

6. Molesto summeque inutili labore Pontem supra mare navalem inter Bajas & Puteo- los, trium millium & sexcentorum fere passuum spatio, construit, inque eo hi- strionicam pompam vario ludibriorum apparatu agit.

Dici vulgò solet: *Stultitiam patiuntur opes;* addo nunc ob Ca- jum, & vires imperii. Opulentus Cajus immensi alicujus o- peris famã nomen sibi quærere tentavit, sed id opus, quod aggre- ditur, tale fuit, ut ostentãrit suam inter opes & vires imperii stul- titiam. Opus si spectare laboriosum & varietate aliquã tædium vel augere vel minuere placet, vicinum se præbet opus, stoliditate ma- ximum & nimium, imò importabile onus, quod Suetonius *novum* c. 19. p. 237. *atque inauditum genus spectaculi* vocat. Quale verò? Ostentatione opum inani stolidaque prodigalitate lusit Cajus, sumtus faciens in res varias superfluos, nam, quod Suetonius ait, *in extructionibus* c. 37. p. 254. *Prætoriorum atque Villarum, omniratione posthabita, nihil tamen ef- ficere concupiscebat, quàm quod posse effici negaretur.* Et jacta itaque moles infesto ac profundo mari, excisa rupes durissimi Silicis, & campi montibus aggere equati, & complanata fossuris montium ju- ga, incredibili quidem celeritate, cùm mora culpa capite lueretur. Majoris verò delirii fuit opus, quod mirifici ingenii Architectus c. 19. p. 237. *Bajarum medium intervallum, & Puteolanas moles trium millium & sexcentorum fere passuum Ponte conjunxit, contractis undi- que*

que onerariis navibus, ordine duplici ad ancoras collocatis, super-
 jecto *aggere terreno*, ut vocatur. A magnitudine *molem Puteolanam*
 vocat Suetonius. Hæc structurâ sic delectabatur Tigellius ille sto-
 lidus, ut per hunc pontem *ultra citroque* commearet per integrum
 biduum; & quidem primo die *equo phalerato*, quercina circumda-
 tus coronâ, & *securi*, & *cetrâ*, (scuto loreo) & *gladio aureâque*
chlamyde, altero autem die *quadrigario habitu*, comitante Præto-
 rianorum agmine, & in essedis cohorte amicorum. Delectabatur
 insuper stolidissimus Princeps ludicro catapontismo, nam cum
 multos è littore in pontem evocasset ad se, repente præcipitabat
 omnes, & quosdam gubernacula navium apprehendentes remis
 contisque detrudi in mare jussit. Hæc regni otia illi dabant talia
 vitia. Imitatione Xerxis, Hellepontum ponte contabulantis, à Ca-
 ligula pontem constructum ajunt Seneca de brev. vit. c. 18. p. 577.
 & Suetonius c. 19. p. 237. Senecæ verba sunt: *Dum ille pontes na-
 vibus jungit, & viribus imperii ludit, aderat ultimum malorum ob-
 sessis quoque alimentorum egestas. Exitio pene ac fame constitit, &
 qua famem sequitur rerum omnium ruina, furiosi & externi & in-
 feliciter superbi (Xerxis) erat imitatio.* De ponte ad Baulos & Pu-
 teolos agens Dio lib. 59. p. 749, 750, 751, ait joco *Neptuno timo-
 rem incussisse*. Singulari capite hunc Caligulæ pontem Julius Cæ-
 sar Capacius in Historiâ Puteolanâ cap. 6. p. 17. 18. 19 descripsit,
 Sinum quoque Bajanum ponte lapideo junxisse, inutili omninò
 opere, Rivius 1. Hist. nav. med. 11. p. 32 conjectat, cujus hodie ad-
 huc apparent vestigia, nam, referente Francisco Schotto, *exeunti-
 bus ad littus apparent à longe, tanquam alti in undis tumuli, vel colles
 aliqui, gigantea veteris portus opera, pile nimirum vastissima, tre-
 decim turrium quadratarum instar, è mari exurgentes, forni-
 cibus densissimis connexæ pontis in formam quondam omnes quæ fue-
 runt. Nunc vero tempestatibus atque vetustate, tam stupenda solidi-
 tas divulsa est, & concamerationes collapsæ multis in locis pilas ab in-
 vicem separarunt, ut ab una in aliam non pateat transitus. Univer-
 sum opus lateritium est. Antè Caligulæ tamen tempora molem il-
 lam stetisse ibidem Schottus colligit, producto etiam fragmento
 lapidis inscripti. De hoc ponte agit Phil. Camerarius in Horis
 suis subcesivis, & quum *ἀπὸ τῶν ἰσῶν* vestigia viderit, scribit: *De hoc
 ponte**

3. Itiner.
 Ital. p.
 248. seq.

ponte extant adhuc aliquot fornices ex lapide quadrato constructis, sicut exteris monstrantur, & vulgi opinio est, quos prope Puteolos vidi magnâ cum admiratione latissimi tractûs, quem pons iste integer olim admixtis onerariis occupavit, ab uno latere ad aliud, usque ad Bajanam arcem, quæ ulteriore littore, edita in rupe conspicitur. Pontis adhuc hujus tredecim arcus anno 1588 superfuisse retulit Villamontius libro primo Peregrinationum. In rei memoriam cusus numus æreus, in quo vultus Caligulæ, intra hunc titulus: C. CAESAR AUG. GERM. P. M. TR. P. Ab alterâ elogium quasi insignis victoriæ ob hanc molem factam: TERRA MARIQUE VICTOR. Pons subjectis navibus subest, terreno aggere solidatus, curru quadrijugo triumphanti similis vehitur Imp. adstantibus Ducibus, & signiferis sequentibus currum. In ridiculo & supervacuo opere dum universa classis occupatur, Romæ capitalis penè fames cooritur, quod ex Seneca tradit Lipsius. Fru- 4. Anl.
ctus is ineptiarum. Relicto inepto opere ad ineptiora ibimus belli L. 7. p.
opera, structa & parata non ad stragem sed risum hostium. 171.

7. Summæ ignaviæ Imperator immani inanique sumtu ac negotio per Galliam in Germaniam tendit, bellum mimicum parat, ridiculam expeditionem contra Oceanum Britannicum suscipit, turrique in memoriam pugnae erectâ tumultuariò redit Romanam, inops à mente, inops à consiliis.

M Alares, nec spes, ubi Imperatores inutili impendio stolidâ arma gerunt. Quid de Ducibus fiet, qui illorum consiliis reguntur? Infamis est Cajo propter dedecus vitiorum immanium, quem nullius puduit sceleris. Quicquid purgamenti & foeditatis fuit, congestum in Cajo. In pace magis metuendus quàm bello tam pace quàm bello, tam togâ quàm sago, inutilis fuit, rei bene gerendæ occasionem nullibi captans, rerum omnium, nisi mala-

e. 43. p.
259.
lib. 59. p.
754.

e. 43. p.
259.

l. 59. p.
755.
6 A.
30. 5.

malarum, ignarus, neque ad terrendos, neque ad conterendos hostes idoneus. Tiberius quidem malus, sed bellicis rebus idoneus. Caius nullis periculis jactatus, pace belloque ridiculus. Fortunam nimiam & insanus & caecus & brutus fuit factus. Habent suos impetus stolidi Imperatores, prout Luna regit. Ea vertigine cerebri Caius meditatur bellum in Germaniam, & ut Suetonius ait, *expeditionis Germanicae impetum cepit*. Omni in Italia Romaeque pecunia absumpta in Galliam abiit Germanici belli obtentu usus, ἔργω δὲ, ὅπως καὶ τὰ ἐκείνων ἀνθέντα τοῖς πλεῖστοις, καὶ τὰ τῶν ἰσχυρῶν ἐκζημασίῃσιν, ipso opere vero, ut Gallias opibus florentes & Hispaniam expilaret. Quomodo vero mirum in modum afflixerit subditos, foederatos & cives, ibidem exponitur. Mente laevam nitebatur esse aemulator Iulii Caesaris & Augusti, qui in Germaniam usque progressi fuerant armis, eque Germanis parabat sibi nomen quaerere, cum inepto homini neque animus esset militaris, neque miles ad rem tantam instructus. *Expeditionis Germanicae* (verba sunt Suetonii) *impetum cepit, neque distulit, sed legionibus & auxiliis undique excitis, delectibus ubique acerbissime actis, contracto & omnis generis commeatu, quantum nunquam alius, iter ingressus est, confecitque modo tam festinanter & rapide, ut praetorianae cohortes contra morem signa jumentis imponere, & ita subsequi cogerentur; interdum adeo segniter & delicate, ut octaphoro veheretur, atque a propinquarum urbium plebe verri sibi vias & conspergi propter pulverem exigeret*. Impetus ille stolidus, ex tumultuario animo profectus uti cepit sic cum ignominiam desiit. *Ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuisse* ait Tacitus Agric. c. 13. n. 4; & *ingentes minas in ludibrium versas*, Germ. c. 38. n. 8. Venientem in Germaniam excepit primo Sulpitius Galba, Lentuli Gætulici in Germaniam successor. Is est ille Getulicus, qui superiorem Germaniam teste Dione per decennium administravit, qui que Tiberio ausus est scribere, docente Tacito, sibi *fidem integram esse, & si nullis insidiis peteretur, mansuram; successorem non aliter quam indicium mortis accepturum, firmarent veluti foedus, quo Princeps ceterarum rerum potiretur, ipse Provinciam retineret*. Inde ostendit Tacitus sollicitudinem Tiberii in mandandis provinciis. In bello sedulo Getulicum occidi Caius jusserat, ὅτι τοῖς στρατιώταις ἐκείνῳ, quo

quod militum benevolentiam sibi parasset. Secuta sunt tempora à Ti- Dio p.
berio prævisa, viribus Germaniæ per dissidia exhaustis, quod malû 755.
fortes populos tunc pressit, & adhuc vexat, quo de factionis ma-
lo veteri novoque graviter & egregiè differit Julius Pflugius. Mi- de Rep.
serandum in modum dissenserant Germani, cum Romani bella Germ. p.
inferrent, quod è veteri Annalium memoriâ antea retulimus de 5, 6, 7, 8.
Maroboduo, Arminio & Catualda, invicem cum strage Germa-
niæ dissentientibus. Astutus Tiberius Germanicum avocabat, ut
Germaniam relinqueret; posse & Cheruscos, quod scribebat, ca- Tac. 2. A.
terasque rebellium gentes, quando Romana ultionum consultum est, in- 26. 5.
ternis discordiis relinqui. Non Imperatorem versipellem hæc spes
sua fefellit; nam inventus est inter Germanos Maroboduus, Sue-
vorum potens Rex, qui Romanis rem facturus gratam strenuissi-
mo Arminio, Cheruscorum Principi, bellum faceret. Excitatus
etiam Catualda, ut in Maroboduum faceret impetum, qui victus
ad Tiberium confugit, nam, dicente Tacito, Maroboduus undi- 2. A.
que deserto non aliud subsidium, quam misericordia Cælaris fuit, 63. 1.
sicque formidolosus Maroboduus ex formidine à Germanis suis
divulsus in Italiam migrat, atque Ravennæ in perpetuo quasi exi-
lio reliquum ætatis suæ perdidit. Postea Catualda fractus viribus à
Marobodui factione ad Tiberium itidem confugit, de quo Tacit- 2. A.
tus: Idem Catualdæ casus, neque aliud perfrugium; pulsus haud mul- 63. 6.
tò post Hermundurorum opibus, & Vibilio Duce, receptusque Fo-
rum Iulium, Narbonensis Gallia coloniam mittitur, quodam modo
relegatus; atque ita Principes ambo maximi, crepti fuerunt Ger-
maniæ, ut, quanto plus præsidii in utriusque consilio atque poten-
tiâ contra Romanos aliosque hostes Nationi Germanicæ positum
esse videbatur, tantò magis vires ejusdem extenuarentur. Secuta
itaque sunt ea, quæ Tiberius præviderat, non tam sub Cajo, quam
aliis, ut Germanis per intestina dissidia attritis magna ad Imperium
Romanum accessio fieret; & populi quidam Germaniæ non invitè
in Romanorum potestatem venirent, ut horum præsidio contra vici-
nos infestos munirentur; & quanquam postea eorundem virtute ma-
gna sæpe ac periculosa bella feliciter confecta fuerunt; tamen ea fuit
ipsorum conditio, ut, cum maximas res sub alienis auspiciis gererent,
sibi tamen atque Patriæ communi nullum honoris atque dignitatis
splen-

splendorem acquirerent; imò quaniò magis opes alienas, easque liber-
 tati suæ infestas, firmarent, tanto plus detrimenti Patria caperet, ejus-
 que libertas magis labefactaretur, cùm præsertim arma, quibus glo-
 riosè uti possent, pro arbitrato eorum, in quorum potestate erant, non
 solum contra exteras gentes, sed etiam contra Germanos, qui liber-
 tatem suam defendebant, ferrent, atque adeo Patriam ipsam oppugna-
 rent, quæ insignis Pflugii querela fuit prolata in domesticos suos,
 de quibus adhuc videtur posse dici, *Germanos per Germanos vinci*,
 cùm negotium est cum externis hostibus; languidique tandem &
 exhausti vicinos Dominos, quod verendum, cum improperio ha-
 bebimus, cujus præiudicia, ademptis ferè viribus, conspiciuntur,
 optatissimo gaudio populorum, quorum linguas & mores tanto
 inpetu affectamus, antiquo Germaniæ more inter nos dissiden-
 tes, aliena æmulantes discordi Germaniæ statu, & in dies magis
 magisque ingravescente, qui tandem omnia Reipublicæ nostræ
 fundamenta convellet, sceptrumque & gladium Turca vel alius
 è manibus excutiet, nisi sapiamus concorditer. Taciti cogitemus,
 quod malis moribus luimus. Luit Germania sub Cajo; luit ad-
 huc. Legionibus, quæ sub Cajo in Germaniâ excubabant, præerat
 Sergius Galba, strenuus Dux, qui *veteranum ac tironem militem*
 Galb. c. 6. opere assiduo corroborabat, teste Suetonio, *matureque Barbaris,*
 P. 377. (sic *Germanos* suo more vocant Romani) qui Rheno relicto jam
 in Galliam usque proruperant, *coercitis*, Caligulæ tum adventan-
 ti, *talem se & exercitum approbavit, ut inter innumeras contractas-*
que ex omnibus provinciis copias (supra ducenta militum millia re-
 censet Dio) *neque testimonium, neque premia ampliora ulli perci-*
 L. 59. P. 755. *perent. Ipse (Galba) maxime insignis, quod campestem decursio-*
nem scuto moderatus, etiam ad essedum Imperatoris (Caji) per vi-
ginti passuum millia cucurrit. Decursio erat exercitium militare,
 in armis & sub signis, cujus formam, finem & fructum tradit
 s. Mil. Lipsius, Galbamque laudat, scutum suâ manu præferentem. Soli-
 Rom. 14. tudinem minabatur tunc Germaniæ Scenicus Rex, sed magno sub
 P. 309. robore Ducum variorum, inter quos Galba claruit, languit o-
 mnis vis, sicut Dio nobis depingit Cajum *μήτε μάχην τινα νικήσαντα,*
μήτε πολέμιον τινα ἀποκτείναντα, quum nunquam collatis signis vi-
 ctor extiterit, neque omnino quenquam è hostibus occiderit, per
 ludi-

ludibrium verò septimùm *Imperator* adulatione militum dictus
 fuerit. Imbellis itaque *Imperator* in pace leo, lepus in bello, etiam
 nemine feriente. Cùm in Germaniã esset, vixque audiret umbram
 hostis, tinnientibus auribus fugit, nemine persequente, Gorgo,
 tanquam Gorgone alia conspectã. Cervinum hunc animum de-
 scribemus verbis Suetonii: *Adversus Barbaros* (Germanos) mi- c. 51. p.
 nacissimus, cùm trans Rhenum inter angustias densumque agmen iter 266.
 effedo faceret, dicente quodam, non mediocrem fore consternatio-
 nem, sicunde hostis appareat, Equum illico conscendit, ac properè
 versus ad pontes (Rheni), ut eos calonibus & impedimentis stipatos
 reperit, impatiens mora per manus, ac super capita hominum trans-
 latus est. Hoc est, quod nos dicimus: *Über halß und kopf ausreisen.*
 Non minor timiditate quàm immanitate fuit, plerumque enim ti-
 miditas crudelitati sociatur, imò Plutarcho volente, *ἄνθρωπος τὸ*
εὐαντίσι δειλὸν, φονικὸν, timidus omnis crudelis. Crudelitas timida fuit
 in Nerone, dum enim crudelitati student Caji & Neronis, suspi-
 caces sunt & timidi, ne sit aliquis, qui vitæ aut imperio insidietur. p. 1024.
 Timidissimus fuit *Claudius Cesar*, valdeque suspicax, facile admissis
 delatoribus concepit odia, in necem pronus, quod in ejus historiã
 Dio notavit. In expeditionibus trepidabat metu Caligula, non
 minus Nero. Scitè dicit Suetonius Cajo defecisse belli materiam, lib. 60. p.
 cumque liberum esset iter terrâ marique, neque hostis apertus ad- 765.
 esset, nec armis esset via aperienda, ipse sibi finxit hostem, ne otio- cap. 45.
 sus esset in stoliditate suã. Deficiente belli materia, ait, paucos de cor- p. 261.
 poris sui custodia Germanos trajici, occulique trans Rhenum jussit,
 ac sibi post prandium quàm tumultuosissimè adesse hostem nuntiari.
 Quo factò fictè nuntio proripuit se cum amicis, & parte equitum
 prætorianorum in proximam sylvam, truncatisque arboribus & in
 modum tropeorum adornatis, ad luminare reversus, eorum quidem,
 qui secuti non essent, timiditatem & ignaviam corripuit, comites au-
 tem & participes victorie novo genere coronarum, quas explorato-
 rias appellavit, donavit; Nuntiisque missis Romam versus absentem
 Senatũ populũque gravissimo objurgavit edicto, quòd Cæsare
 præliante & tantis discriminibus objecto, intempestiva convivia,
 Circum, Theatra, & amœnos secessus celebrarent. Magna indigna-
 tionum & inimicitarum Caji est vis in truncos & arbores, ut nec
 misc-

misericordiam nec preces iratus animus recipiat. Quis non trophæum poneret, gratulareturque de belli sumtibus non frustra insumtis? Nulli hostes sunt in locis, quos inveniunt ramis ac frutetis opacos. Nihil apparet hostile; nihil non lætum, quod obvium oculis. Confilii aliquando feroculus Cajus, & hostes provocat, qui longè aberant. Uno tunc impetu fit strages ramorum & virgultorum. Operis non exigui fuit extrudere ejusmodi hostem umbraticum, & è carectis producere. Missa tunc in Germaniam Legatio à Senatu Romano, cui præfuerat patruus Caji Claudius, ut gratulatio fieret de conjuratione in eum detecta; ast indignatur ac fremit Cajus, *Patruum potissimum ad se missum, quasi ad puerum regendum.* Hyeme Lugduni inter Gallos transactâ ex hybernis Cajus movet, ingentes copias terrâ marique contrahit, *ad Oceanum profectus, tanquam in Britanniam bellum translaturus, Julii Cæsaris exemplo.* *Magno & incredibili apparatu,* ait Orosius, *profectus querere hostem viribus otiosis Germaniam Galliamque percurrens, in ora Oceani circa prospectum Britannia restitit.* Majoribus viribus majores posse res geri quis dubitaret? Sed quid gestum? Dies, ut magnas sæpe utilitates, si prudentia adsit & fortuna; sic ingentes quoque vanitates secum apportare potest, maxime cum in orbe Cajus aliquis Rex est. Consultatione longa per totam hyemem peractâ demum processit momenti permagni bellum, quod ocyus geri non poterat. Sine periculo res agitur, nam Cajo vivo timendum erat nihil, speranda omnia. Lætus exitus non deerat, patebitque is ex iis, quæ subjiciemus. Clypeo suo aureo sublato Cajus *directa acie in litore Oceani, ac ballistis machinisque dispositis, nemine gnaro ac opinante, quidnam capturus esset, repente ut conchas legerent, galeasque & sinus replerent, imperavit, spolia Oceani vocans, Capitolio Palatioque debita.* De ludicris his verba faciens Rivius: *Has ille nugas, ait, Oceani spolia, Jovi & Capitolino debita, appellabat. Itaque pro se quisque conchas, alii collo, alii brachiis innectere, ut si quis nunc diernum exercitum per eandem Galliam sic incedentem cerneret, peregrinos votivos à monte S. Michaelis (Jacobs Brüder mit Weuscheln) redeuntes se spectare crederet.* Conchyliomachiâ delectatur Cajus, recreatur totus, ac insigni dulcedine mens corpusque perfunditur. Hoc gaudium hancque

Suet.

Claud. c.

9. p. 282.

7. 5. p.

582.

Suet. c.

46. p.

262.

1. Hist.

nav. med.

12. p. 33.

que exultationem mentis notat Dio, hanc de Oceano triumphato stoliditatem referens. λαβὼν δ' εἰ, αἰτ, τὰ σκεύη αὐτὰ μέγα τε ἐφρόνησεν, ὡς καὶ τὸν Ὀκεανὸν αὐτὸν δεδωλωμένον, καὶ τοῖς στρατιώταις πολλὰ ἐδωρήσατο. *Spoliis acceptis magnificè gloriabatur, quasi Oceano subactis, militibusque multa largiebatur.* Scilicet hoc bellum ridiculum ejusmodi conchyliis, tanquam exuviis, dignum erat, ut posses nominare des Römischen Eulspiegels Muschelkrieg/ & inter νεανιεύματα & inanissimas inanitates est hebetis Principis, quod conchyliia Romam usque attulerit, ut hæc spolia etiam populo Romano ostenderet. Sic ludos agebat stolidum & excors pectus thoracatum. Imbecillitatis iudicii hoc conchyliatum bellum sit signum, quod ipse non intelligit Cajus, & ipse se totum ignorat. Quis verò ista videndo aut legendo temperet à risu? Dare in discrimen Legiones haud imperatorium ratus Cajus, circa littora, ut hostem evitaret, hæsit. Sed quid? Pugnamus adhuc cum Cajo & victis conchis insultamus? Videamus potius de loco, ubi illa sciamachia. Qui veniunt, ut spectent locum, ubi Mari incubuerunt, vel potius conchis, ii illum esse volunt prope Cattovicum, (Cattwick ob der See) ubi in aquis interdum fudo cælo aereque sereno videri possunt rudera, quæ volunt esse reliquias altissima turris, quam excitaverat instar phari, ut inde noctu ad regendos navium cursus emicarent ignes; quem locum aliquando ipse lustravi, vocantque accolæ Brittenhuis vel t'huis te Britten/ i.e. domum sive arcem Britannicam, eò enim profectus fuerat, ὡς καὶ ἐν τῇ Βρεταννίᾳ στρατεύσας, velut in Britanniam bellum gesturus, ipseque triremi paululum in Oceanum proVectus, quum nihil incommodi à fluctibus sensisset, eam maris quietem victoriæ signum interpretatus ad litus rediit, prælioque littoreo confecto in signum trophæi altissimam turrem ipsâ in aquâ reliquit, cujus ruinas, hodie adhuc comparentes, ex destructa illa turri fuisse contendit Cambdenus in *Descript. Britannia* p. 852; à quo tamen dissentit Ortelius *Thesaur. Geogr. v. Britanni*; Cluverius *de Rheni alveis* c. 14. p. 118 & 2. *German. antiq.* 36. p. 486, 487, 488, 489, 490, 491, ubi Druso, tot castellorum ad Rhenum extructori, gentis illud munimenti aut castelli attribuit. In re incerta qui certiora potest videre, videat & dispi-
ciat. Discedit ab hac sententia de arce Britannica sive turri ad Rhe-

pag. 758

Suet. c.

46. p.

262.

Dio l.

59. p. 758

ni ostium posita Ægidius Bucherius, & transtulit ad eam turrinam, quæ extat adhuc in litore Morinorum ad Bononiam, diciturque incolis, *La Tour d'ordre*, quam ipse vidit & descripsit 4 Belg. Rom. 10. n. 13, 14, 15 p. 145, & ante eum Cluverius d. l. pag. 490. Accessit loco, quem iustravimus, fortuna, quæ locum magis conspicuum facit, ut parvum quidem nomen facti videatur, fructus verò laboris non parvus, *Adminio*, Cynobellini Britannorum Regis Filio, *in deditioem recepto*, quod tradit Suetonius, de Caligulæ militia faciens verba. Rem sic auditu non parvam, fructu magnam, tractatu difficilem, susceptam à multis, à nullis perfectam, ab officio tanti Imperatoris non alienam, paucorum dierum opera pertinaci confecit Cajus, victoque Adminio, qui pulsus à Patre *exiguâ manu* transfugerat, causam habuit mittendorum nuntiorum Romam versus cum *magnificis*, ut vocat Suetonius, *literis, quasi universa tradita Insula; monitis speculatoribus, ut vehiculo ad Forum usque & Curiam pertenderent, nec nisi in æde Martis ac frequente Senatu Consulibus traderent.* Quanta hæc militia imaginaria in Regis Filium, à patre pulsum, & inermem, cum paucis oberrantem! Hanc sine hoste expeditionem Orosius etiam describit, nominans Minocybellinum, Britannorum Regis Filium, corrupto nomine, quod corrigendum ex fide Suetonii, quem diligenter legit & imitatur Orosius. Meminit hujus Cunobellini Dio, & præter Adminium à Suetonio nominatum Filios in super eidem tribuit Regi Cataratacum & Togodumnum. Tandem videamus postremum iter reditus in Italiam, quod instituit Cajus, & ut ne sine cedere rediret, Legiones in Germania Rhenanas *consilio nefandæ atrocitatis*, uti vocat Suetonius, *contrucidare* voluit, motus *seditione*, quam quondam post excessum Augusti excitaverant, & *periculo*, in quo tunc ipse & Pater Germanicus fuerant. A præcipiti consilio internecionis revocatus, *decimationem* cogitabat perficere, ut decimus quisque militum interficeretur. Ast quis exitus rei? Citatior in fuga quàm exequendo conatu erat, metu perculsus, cum enim circumfedisset *inermes* equitatu armato, vidissetque *suspecta re plerosque relabi ad resumenda*, *si qua vis fieret, arma*, profugit concione, *confestimque Urbem petiit.* Rebellionem diu sopitam resuscitat, cumque videt erupturam contentionem in gladios, au-
fugit,

c. 44. p.
260.

p. 582.

l. 60. p.
779.

c. 48. p.
263.

fugit, ne in manus incideret militum, tyrannidisque suæ daret prænas. Plus præmiis quàm suppliciis stat regni salus; stolidi autem erat, vulnus diu sanatum refricare, & ulcus unguibus exulcerare. Facti autem originẽ ostendemus, & habuit in hunc modum se res. Principatus Augustæi egressu & excessu Principis turbata statim Roma ex Pannonicarum Legionum seditione, quæ exorta fuit nullis novis causis, memorante Tacito, nisi quod mutatus Princeps licentiam turbarum, & ex civili bello spem præmiorum ostendebat. Seditionem Tacitus, quia gravior, prolixius describit, & quomodo Drusus pacandæ seditioni missus sustinuerit legationem artificiosè, de quibus Cl. Lentulus legendus, de Arcan. Reg. c. 17. seqq. à p. 302 ad pag. 350. Præcipuustunc Vibulenus, olim Histrio, post miles in legionibus Pannonicis, seditionem movet, & Blæsus præfectus aliquos ex seditionis conjicit in carcerem; at milites impressione facta illos effractis carceribus liberârunt. Vibulenus verò apud milites concionabundus miscuit mendacium, ut moveret, movitque maxime, teste Tacito, fictisque verborum lenociniis concitavit aures adstantium, ut, nisi brevi innotuisset fucus histrionicus, vix à Præfecto abstinuissent milites manus. Accessit turbis Pannonicis Germanicarum Legionum seditio, nam, eodẽ Tacito recensente, iisdem fermè diebus, iisdem causis Germanica Legionibus turbata, quanto plures, tanto violentius, & magnâ spe, fore, ut Germanicus Caesar imperium alterius pati nequiret, daretque se Legionibus, vi sua cuncta tracturus. Duo tum apud ripam Rheni exercitus erant sub Silio legato & Cæcina, regimen verò summæ rei penes Germanicum. Legendus itidem Dn. Lentulus p. 352 seqq. Legionibus, in finibus Ubiorum existentes, audito fine Augusti, commoventur ex lenimẽto otii, quæ multitudo vernacula, lascivia sueta, laborum intolerans, dicitur à Tacito. Quæ diu sepulta fuerant per oblivionem Tiberii, ea nunc Cajus imprudens resuscitat, cum ad omnia alia, quæ propinquiora, segnis esset, sui continuo similis, vel ardore excedens, vel languore deficiens. Quicquid gessit, id totum dedecori suo cessit. Abundè de hac re dictum, nec satisfactum tamen. Habemus hîc hostilem risum, habemus fatuitatem Caji, magno curarum delirantis æstu, ut magnitudo inde stoliditatis orbi magis innotesceret. Vero nomine *Cajanarum* expedi-

I. A.
16. I.I. A. 22.
& 23.I. A.
31. I.I. A.
31. 4.

Suet. c.

16. p. 235.

peditionum ludibrium vocat Tacitus 4 Hist. 15, 3, ubi paucissimis indicat, quomodo irriserint Germani stolidam hanc copiarum transvectionem. Ridendus meritò Caji *clypeus aureus*, quem quotannis certo die Collegia sacerdotum in Capitolium ferebant, Senatu prosequente, nobilibusq; pueris ac puellis carmine modulato, laudes virtutum ejus canentibus. Clypeo abjecto pecunia perdita, copiae exinanitae, onera congeminata, hostibus foris nullis, dumque externus hostis quaeritur, internus domi accipitur. Satis bellatum sub Cajo, ob fortia facta, neque deerant feroculo triumphatori, ridicula viribus otiosis agenti, adultores; nihil enim tam ridiculum aut leve erat, quod non extollant ii, qui student Principum honesta aequè ac inhonesta laudare. Cum ille stolidissimus Princeps ludicra militia littora Oceani invadit, directaque acie conchas legit, adest, qui *victoriosum Imperatorem, damna hostium, Oceani spolia* dilaudat. Ex illa adulatione Caligula à militibus septimum *Imperator* appellatus fuit, quum nunquam hostem vidisset aut vicisset. Ex illa adulatione Caesari sacrificia & triumphum propter devictos Germanos instituisse Caesoniam, amicam morisque triumphalis peritam, notat Persius:

Sat. 6.

v. 43.

*O bone, num ignoras, missa est à Cesare laurus,
Insignem ob cladem Germanae pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis, ac jam postibus arma,
Iam chlamydes Regum, jam lutea gausapa captis
Essedaque, ingemesque locat Caesonia Rhenos.*

c. 47. p.

162.

Mimicum Romae agit triumphum mimicus Imperator, ne futura esset tanti operis bellici oblivio. Ad cum extollendum apparatus nil plus potuit, quam subornare, qui Germanos captivos formae & habitu repraesentarent. *Conversus ad curam triumphi*, scribit Suetonius, *praeter captivos & transfugas barbaros, Galliarum quoque procerissimum quemque, & ut ipse dicebat, ἀξιόθρια μὲν τὸν*, (triumpho dignum) ac nonnullos ex principibus legit ac seposuit ad pompam, coegitque non tantum rutilare & submittere comam, sed & sermonem Germanicum addiscere, & nomina barbarica ferre. *Precepit etiam triremes, quibus introierat Oceanum, magna ex parte itinere terrestri Romam devehì.* O quanta rerum inanitas? Ille, nullius arcis victor, quasi de subjectis Britannis triumpharet, Ca-
pito

pitolinam ascendit arcem, & plausu quodam inani à populo Romano excipitur. Admirari desinamus mirandos triumphos, Cajumque Cajis relinquamus. Malè institutus in Gynecæo, inque castris educatus pessimè, plus non potuit animi habere quàm mores secum ferunt mali. Nullam illa educatio religionem habuit, nullam castitatem, nullam virtutem.

7. Honores immortalis Deo debitos affectat, instar Numinis divini vult coli, victimas sibi offerri præcipit, Deorum & Dearum habitum assumit. Templo Hierosolymitano Statuam suam inferri jubet, obstinatè resistantibus Judæis.

Liberè scribimus de Cajo. Minus verò est eo, quod vitia merentur, aut veritas suadet. Studia vecordiae plena recensuimus, nunc majora relaturi, nec tamen complexuri omnia, quæ ad superbam stoliditatem noscendam sufficient. Quis non miretur, tantam cadere potuisse superbiam, an amentiam, in Cajum, ut oblitus suæ originis & nominis pro Deo haberi voluerit. Miror, si non miraris stolidissimum Imperatorem, *Deum* se facientem; nam, quod Dio docet, *ναὺς ἑαυτῶ καὶ θυσίας, ὡς καὶ Θεῶ, γίνεσθαι ἐκέλευσε, templa sibi extrui, & rem sacram, tanquam Deo, sibi fieri iussit.* De hac immani stultitia bacchicoque furore Josephus *x8. l. 59. p.*

A. J. 9. p. 649: Προϊὼν ἐξίς αὐτὸ τὴν ἀνθρώπινως φρονεῖν ὑπὸ μεγέθους τῆς ἀρχῆς ἐκθειάζων αὐτὸν, καὶ τὰ πάντα ἐπ' ἀτιμίᾳ τῶ θεῶ πολιτεύειν ἤρθε. 737, 761.

Progressu imperii desinit humano se modo tenere, ob magnitudinem imperii Deum se faciens, cunctaque ad Dei contemptum cepit facere.

Idem 2. de Bello Jud. 9. p. 790. Ἐπὶ τοσούτον ἐξέβρισεν εἰς τὴν τύχην, ὡς εθεῖον μὲν αὐτὸν καὶ δοκεῖν, καὶ βλάσφημα, καὶ καλεῖσθαι. In tantum contumeliosè abusus est fortuna, ut etiam & Deum se putaret, & vellet vocari.

Philo de Legatione ad Cajum p. 627: Οὐκ ἔτι ἤζητε μένειν ἐν τοῖς τῆς ἀνθρώπινης φύσεως ὁρίοις, ἀλλ' ὑπερέκυπτε σπευδάζων θεὸς νομιζέσθαι. Noluit amplius se continere intra concessos humane nature limites,

*sed extulit se eousque, ut Deus credi ciperet. Ibidem mox: Επειδ' αὖ
 ἀπαξ ἐδρασύνετο καὶ ἀπειτόλμισεν εἰς τὴς πολλὰς ἐξενεγκεῖν τὴν ἀθεω-
 τάτην ἐκθέωσιν αὐτῆς, τὰ συνωδὰ πράττειν ἐπεχείρησεν. Postquam semel
 deposito pudore ausus est in publicum proferre impiam suam Deifica-
 tionem, etiam ei rei congruentia cepit agere. Quæ autem sunt illa
 συνωδὰ sive consona & consentanea? nempe, ut id ex Dione expli-
 cemus, τὰ σχήματα, ὅποτε τις Θεὸς ἐπλάττετο εἶναι, ἐλάμβανε, καὶ αὐτῶν
 καὶ ἱκετεῖαι, καὶ εὐχαὶ, καὶ θυσίαι κατὰ τὸ πρόσφορον προσήγοντο, ha-
 bitus & formas, cum Deum aliquem se simulabat, sumebat, ipsique
 convenientes tali Numini preces, supplicationes ac sacra fiebant. Inde
 Philo recenset quàm se monstrosus Imperator in Deos Deasque
 stupida forma transfiguravit, sed nos Dionis verbis id trademus:
 Ἦρατε καὶ Ἄρτεμις καὶ Ἀφροδίτη, πολλάκις ἐγίνετο. πρὸς γὰρ δὴ τῆς
 τῶν ὀνομάτων μετάθεσιν, καὶ τὸ ἄλλο χῆμα πᾶν τὸ προσήκον σφίσι ἐ-
 λάμβανε, καὶ ποτὲ μὲν Φηλυδρείωδης ὤρατο, καὶ κρατῆρα ἢ θύρσον εἶχε,
 ποτὲ δὲ ἄρρενοποιὸς, ῥόπαλον καὶ λεόντην ἐφόρει. λειογένει δ' αὖ καὶ μετὰ
 τῆτο πωγωνίας ἐφαντάζετο, τείλαινάν τε εἶναι ὅτε ἐκράτῃ, καὶ κεραυτὸν
 αὐτῆς ἀνέτεινε, παρ' ἑνὶ τε πολεμικῆ ὁμοίωτο. Sæpe fecit se Junonem,
 sæpe Dianam, sæpe Venerem, & prout nomen mutaverat, ita &
 convenientem nomini sumebat habitum; interdum muliebri ornatus
 conspiciebatur, craterem thyrsūque gerebat. Aliàs virili cum vul-
 tu clavam (instar Herculis) sumebat & leonis exuvias. Modo le-
 vis, modo barbatus apparebat. Fuit cum (instar Neptuni) tridentem
 teneret. Alio tempore (uti Jupiter) fulmen protendebat; virginique
 bellatrici similem se exhibebat. Voluntate insaniendi nil incensius,
 quam sublimiorem stultitiam videns Gallus quidam, Dione me-
 morante, dum sederet Iovis specie Cajus pro tribunali, risit, interro-
 gatusque à Cæsare, quid esse illi videretur, μέγα παραλήρημα, ma-
 gnum deliramentum, respondit. Ignovit huic Gallo, qui erat Sutor.
 Plenè effudit duobus verbis Sutor totam stoliditatem, ad quam
 Senator aliquis ne mutierat quidem, quia erant omnia plena di-
 scriminibus. Plebejushomo ridet delirum Cæsarem, cujus deli-
 ria ut magis vulgentur, inter μεγάλα παραλήρηματα fuit, quod se
 Iovem nominaret, ejusque Dei habitu in publicum prodiret, &
 quæ sunt alia apud Suetonium. Nihil ad hominem indignius quàm
 quòdin omnium Deorum Dearumque formam se formabat, ni-
 his*

lib. 59. p.
760.

pag. 759.

pag. 760.

c. 22. p.

239. 240.

hil minus quàm homo, quod eleganter Dio, sed bestia modò sto- lib. 59. p.
 lata, modò cycladata. Nemo magis testis idoneus, quàm Sueto- 759.
 nius. Vestitu calceatuque, & cetero habitu, neque patrio, neque civi- c. 52. p.
 li, ac ne virili quidem, ac denique humano, semper usus est. Sape de- 266.
 pictas gemmatasque indutus penulas, manuleatus & armillatus in
 publicum processit; aliquando sericatus & cycladatus, ac modò in
 crepidis vel cothurnis, modò in speculatoria caliga, nonnunquam soc-
 co muliebri. Plerunque verò aureâ barbâ fulmen tenens, ac fulci-
 nam, aut caduceum, Deorum insignia, atque etiam Veneris cultu
 conspectus est. Jupiter figurabatur aurea barba, itemque Æsculapius.
 Fulmen erat insigne Jovis, sicuti Jove fulminante & ipse contra
 jaculari solebat machinâ quâdam, verba Homerica proferens, Dio lib.
 quæ antea protulimus. Pari irreverentiâ Numinis sui inter jurgia 59. p. 761.
 Capitolinis sedibus interdicebat, comminatus exilium in Græ-
 ciam, de quo verba Suetoniana: Interdum cum Capitolino Jove c. 22. p.
 secreto fabulabatur, modò insusurrans, ac præbens invicem aures, mo- 240.
 dò clariùs, nec sine jurgiis, nam vox comminantis audita est: Εἰς γὰρ αὐτῶν
 Δαυαῶν τρεῖς αὐτῶν οὐκ. Nimis scelestè excepit Apellem tragædum, cum
 non vellet dicere, quod Cæsar optabat, reverentia Jovis tactus,
 cum enim assistens simulacro Jovis Apellem consulere, uter illi ma- Suet. 32.
 jor videretur, cunctantem flagellis discidit. Quicquid ad stolidita- p. 251.
 tem accedere poterat, hoc etiam studio accessit, quod curabat
 sibi afferri ex Græciâ simulacra Numinum religione & arte præcla- Suet. c.
 ra, inter quæ Olympici Jovis, quibus capite demto suum imponeret; 22. p. 239.
 de quo simulacro apportato portentum notatur, risisse futurum
 exitium Pseudolympici Jovis, nam Historicus: Futura cadis mul- c. 57. p.
 ta prodigia extiterunt. Olympia simulacrum Jovis, quod dissolvi 270.
 transferrique Romam placuerat, tantum cachinnum repente edidit,
 ut machinis labefactis opifices diffugerint. Quo ipso innuitur, non
 minus derisam à Numine stultitiam, quàm quoque insequenturam
 eadem justa Numinis vindicta, Deo sic dirigente superstitionem
 in omen futuri eventus. Stolidus homo fulminis signo ac fuscina
 icone, caduceique symbolo, Iovem se & Mercurium fingebat;
 mox instar servi abjectissimi ad minima tonitrua & fulgura trepi-
 dabat, caput obvolvebat, è strato se proripiebat, sub lecto ab-
 scondebat. Inter magna deliramenta se νέον Διόνυσον, novum Bac-
 chum

p. 627.

2. 82. p.

75.

3. Exēpl.

6. 6. p.

122.

lib. 48. p.

420, &

p. 442.

c. 22. p.

239.

pag. 627.

Dio lib.

59. p. 761.

1. 59. p.

744.

chum nominabat bacchicamque vestem indutus, hederathyrsoque ornatus prodibat in publicum, & pro tribunali sedens jus reddebat, Philone referente, non aliter ac *Antonius*, cujus arrogantia non vulgaris fuerat, nam ab expeditione Armenica reversus in Ægyptum se *Liberum Patrem* sive *Bacchum* appellari iussit, habituque Bacchi in vectus thyrsum tenebat, Vellejo notante. Simile exemplum habemus in *Mario*, qui post Jugurthinum, Cimbricum & Teutonicum triumphum, se *Liberi Patri*, qui primus Indiam ingressus de Indis triumphasse dicebatur, similem esse volebat, Liberique exemplo cantharo potabat, ut victoriæ Bacchi suam victoriam compararet, memorante Valerio Maximo. Ejusmodi insolenti facto *Sextus Pompejus*, postquam præliis aliquot navalibus prosperè contra Octavium pugnasset, rebus secundis elatus τὸ Ποσειδῶν & παῖς, *Neptuni Filius*, dici voluit, Dioneteste. Ex eo stultæ arrogantiae censu *Cajus Castores* janitores palatii sui constituit, & in medio eorum egregius Jupiter voluit coli; sic enim Suetonius: *Partem Palatii ad forum usque promovit, atque ade Castoris & Pollucis in vestibulum transfigurata, consistens sæpe inter Fratres Deos medium se adorandum aduentibus exhibebat, & quidem eum Latialem Jovem consalutaverunt. Capiti pileum imponebat, quoties Castores repræsentare voluit, teste Philone. Congressus & colloquia simulabat cum Iove, Luna, Castore & Polluce; unde astutus Luc. Vitellius cum stolidus Cajus quæsisisset, ecquid cum Lunâ se vidisset congregientem, defixis in terram oculis respondit: Ὑμῖν τοῖς Θεοῖς, Δέσποτα, μόνοις ἀλλήλους ὁρᾶν ἔξεσι, *Vobis Diis, Domine, solis inter vos licet videre; quo ipso sermonis artificio periculum evasit, sive vidisse se dixisset, sive negasset. Bono verò animo fuisse oportet, quòd non invidit similes honores Drusillæ sorori, quam divinis coli honoribus jussit; jurabatque Senator Livius Geminius se eam vidisse in cælum ascendentem, eumque Diis conversantem, ac exitium sibi & familiæ imprecabatur, si falleret, ut auctor Dio; ob id donatus decies sestertium. De honoribus Drusillæ habitis videndus Dio, ut peculiare fanum ei ædificetur, ut statuæ atque imagines ponantur, ut mulieres per eam jurent. Sic ad honores divinos expedita fuit via Drusillæ, Cajò præeunte, ut utriusque vulgetur virtus hominibus**

bus major, antè non cognita. Magna de se specimina edidit stultitiæ maximæ Cæjus, verèque utitur verbo ἐκμαίνομαι, ut stultitiæ insaniam majorem indicet, Dio l. 59 p. 762; eidemque dicitur ἐκμαίνομαι p. 756, quia animi impotentis, & quasi siderati. Nulli sunt, qui eum animum vellicent, laudant Senatores, quorum adulationem miram describit Dio, ubi retulit Cæji absentis Sellam in Templo adorasse (verbo προσκυνεῖν utitur) Romæ. Quanta hæc adulatio? Magna fuit veneratio Viri cultu indignissimi, nulla verò æstimatio. Ubi hæc tam fæcunda fuit opinio de homine, non deest veneratio, quæ hæctenus Romæ nondum animadversa fuit, & quæ hodie non nisi Pontifici Romano tribuitur, nempe insolens pedum osculatio. Exosculatur pedes demisso capite Pomponius Consul, apud Dionem, de quâ osculatione, & quidem, quod fœdus, pedis sinistri audiamus Senecam: *Parum judicavit, si Senator senex submissis (summæ legit Lipsius) honoribus in conspectu Principum supplex sibi eo more jacuisset, quo victi hostes victoribus jacuere.* Inhumanus iste & superbus mos, quod cum Lipsio placet, inceperat Romæ cum Cæjo, qui administrationem imperii exosam fecit maximè *superbiâ & ambitione*, quâ primus libertatem Reipublicæ depressit; quod enim blandâ primùm vi effecit Tiberius, crudâ arrogantiam perfecit Cæjus, de quo inter exempla prima ponendum factum illud insolentius erga Pompejum Senatorem, ipsis Senecæ verbis nobis enarratum, aitque ibidem: *C. Cæsar dedu vitam Pomp. Penno; deinde absoluto, & agenti gratias, porrexit osculandum sinistrum pedem.* Hoc summæ insolentiæ genus nondum Cæsari ulli in mentem venerat, unde pronuntiatus sapienti Viro homo natus in hoc, ut mores libera civitatis Persica servitute mutaret; neque sine judicii acumine additum: *Invenit aliquid infra genua, quo libertatem detruderet. Non hoc est Rempublicam calcare? & quidem (licet aliquis non putet ad rem pertinere) sinistro pede. Parum enim fœde furioseque insolens fuerat, qui de capite consularis Viri soccatus audiebat, nisi in os Senatoris ingessisset Imperator pedes suos.* Persica hæc servitus fuit, Regum pedes osculari; fœdius autem Cæjus egit soccatus, ubi videatur Lipsius. Fert, & perfert *Commēt.* adulatoria omnia Cæjus, maximè ut tanquam Deus adoratur *Per-* pag. 728. fert *Lucium Vellium*, Imperatoris Vitellii Patrem, & remittit *cu-* pag. 762. 2 de be- nef. 12 p. 395. 1. El. 10. p. 386. 2. El. 6. p. 468.

pam,

- pam, quia adorabat scelestum corpus, eique profuit simulatio coram furioso Principe, nam accersitus à Caligula, ut interficeretur, cum necis causam virtutum suarum invidiam esse non ignoraret, *ignavia simulatione* periculum effugit, divinitatis gloriam insano homini adscribens, uade non modò veniam consequutus fuit, verum etiam *Amicorum primus*, ἐν τοῖς πάνυ φίλοις, habitus, teste
- lib. 59. p. 760. Dione. Studia insana Caji non intermittit vellicare Seneca, & stilum non ineruditè in eum exercet. Placet eum Principem *Deo* nomine perstringere, & dum expendit Canii Julii constantiam ad mortem, inter alia scribit: *Prosequebatur illum Philosophus suus, nec jam proculerat tumultus, in quo Cæsari, Deo nostro, fiebat cotidianum sacrum.* Tam dilexit Seneca Canium, quàm constantiam animi amaverat. Canio erant *occisi liberi, ablata bona*, & agit gratias Cajo, quod & sibi moriendum esset, diciturque ibidem *Cajanae cladis magna portio* Canius. Piget Romanorum exemplorum, ad *externa*, nempe *Judaica*, veniamus, ut plenius noscamus monstrum. Judæis post mortem Tiberii statim in fidem Caligulae adactis Herodes Agrippa vinculis solvitur, docente Josepho, & pro ferrea catenâ, quam captivus gesserat, datur à Cajo *aurea pari pondere*, χρυσῆ ἰσόσαστα μῶ, & quam postea catenam suspendit in Templo Hierosolymitano, ut esset non tam memento non quàm trophæum suarum fortunarum, τῆς συγνῆς τύχης ὑπόμνημα, καὶ τῆς ἐπὶ τῷ κρείττω μαρτυρία μεταβολῆς, ut Josephus loquitur, *monumentum & testimonium mutatae in melius fortune.*
- l. 18. c. 8. p. 636, 637. Commendatus erat Cajo Agrippa maximè, qui eò retulit sua studia, ut Cajo placeret, Herode quippe Tetrarcha proscripto & ejecto Agrippa & dignitate & bonis auctus fuit ex charitate Caji, cuius benevolentiam in Agrippam insignem eleganter describit Josephus ipsis Caji verbis I. A. J. II. p. 642, nec abs re, erat quippe Cajo malis artibus τυραννοδιδάσκαλῶ, iudicio Dionis, quo verbo nil vel significantius quicquam, vel brevius. Curæ tamen erat Agrippæ salus Judaici populi contra tyrannidem Caji, cum enim is statuam suam Templo Hierosolymitano vellet inferre, & optio daretur aliquando, cum lætum ageret diem cum Cajo, postulandi, quod placeret, rogavit, ut mandatum revocaret, quod Petronio dederat de Statuâ in Judæorum templo ponendâ. Contra expectationem
- 7of. 18. A. I. II. p. 643.

tionem acciderat hoc Cajo, & tamen tunc acquievit. Purgatum cerebrum defuit Cajo, menteque turbatâ, Silani & Macronis cæde patratâ, Deum se obtrudit, Judæisque vim infert resistantibus, Petronio tunc in Judæa Cæsaris nomine agente, qui bellicis quidem rebus clarus non erat, multum tamen favoris à populo Judaico habebat, nam cum ille factus successor Pontii Pilati jussu Caji vi cogere Judæos niteretur, ut imagines & statuas Imperatoris in templo collocatas adorarent, videns constantiam illius populi in retinenda sua religione, non modò mandatum Cæsaris exequi desistit, sed etiam motus hoc constantiæ exemplo Judæorumque precibus, explicavit Cajo comiter eorum desideria, atque mitigavit; sed statim Cajus mutatus, iratiorque factus, audita tumultuatione Judæorum, indignè ferens gentis audaciam Epistolam mittit Præsidi, quâ dedicare jussus fuit statuam auream in templo, quod cum exequi pararet, nuncium accepit de Caji morte. Adorari se voluit Bestia etiam à Judæis, instar Numinis, cum cultu religioso Statuæ, Hierosolymis in ipso Templo collocandæ; sed quibus modis restiterint Judæi, plenius retulit Josephus 18 A. J. II. p. 639, 640, 641, 642, 643, 644, & quoque ex Josepho & Philone Eusebius 2. Hist. Eccl. 5, 6 p. 18, 19; eorundemque usus testimonio idem Eusebius, vel potius Hieronymus, scribit in Chronico: *Cajus Petronio, Præsido Syria, praecepit, ut Hierosolymis statuam suam sub nomine Jovis Maximi poneret, quod Iudæi maximâ negaverunt obstinatione. Toto orbe Romano, sicut Philo scribit & Josephus, præterquam in Synagogis Iudæorum, statuæ, & imagines, & aræ C. Cæsaris consecrate. Prodidit id paucis, brevilloquentiam amans, Tacitus 5. Hist. 9. 5: Sub Tiberio quies; dein jussi à C. Casare effigiem ejus in templo locare, arma potius sumere, quem motum Cæsaris mors diremit. Insanientis Principis testimonium dabit etiam Orosius: Iudæis infestissimus omnes Iudæorum sacras ades, atque imprimis antiquum illud in Hierosolymis sacrarium profanari sacrificiis gentilium, ac repleti statuæ simulacrisque imperavit, seque ibi ut Deum coli praecepit. Nullum signum, nullam imaginem, statuam nullam, hæctenus in templo aut in urbe positam pluribus locis scribit Philo, donec colossæam suam in templum inferre Cajus moliretur. Supererat, inquit Philo, unum sancta Civitatis templum,*

plum, intactum hætenus; id conabatur in suum templum demutare
 cum titulo: ΔΙΟΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΕΟΥ ΓΑΦΟΥ. NOVI JOVIS IL-
 LUSTRIS CAJI. Noscimus omnia accuratiùs ex Judæo Philo-
 ne, qui legatione ad Cæjum Cæsarem fungebatur, ut causam ageret
 Judæorum, sed cum injuria ejectus à Cæsare dixit ad Judæos, qui
 ipsi astabant: *καὶ θαρρῆναι, Γαίῳ λόγῳ μὲν ὠργισμένῳ, ἔργῳ δὲ ἠδὴ τὸν*
Θεὸν ἀντιπαροξάζοντι. Bono animo nos esse oportet, quibus iratus est
 Caius; quia necesse est adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium.
 Orationē Legati, quā recitavit, laudat Caussinus l. 13 de Eloqu. p.
 882, memineruntque Legationis Hieronymus Catal. script. Eccl.
 col. 353 T. 1; Orosius 7 Hist. 5. p. 583; ubi Philonem *Virum sanè in-*
primis eruditum nominat. Viro sanè tunc inter Judæos rerum ex-
 pertissimo negotium hujus Legationis dederant, qui hoc onus
 non solùm sustinuit dignè, sed & descripsit texturâ libri eleganti.
 Cura verò illa suscepta frustrâ, cùm, quorum causâ venisset, odio
 exciperetur, cui quidem quantum potuit, obstetit, nihilque non
 egit ad mutandam mentem obstinati Cæsaris; ast criminatum
 erant plena omnia, maximè Apione, Grammatico, laborante con-
 tra Judæos. Noscimus omnia melius & apertiùs, si ex Dei justâ
 irâ interpretationem notæ interioris deducimus, id quod ostendit
 consideratiùs Orosius, docens lib. 7. c. 4 p. 579 in pænam datum
 Senatui orbique Romano Tiberium, crudelem Cæsarem, pro-
 pter Christum non receptum, & in successore Cajo ultionem
 Dei offensi in Judæos & Romanos, quòd nondum veritatis pro-
 fessionem suscipere vellent, continuatam idem scriptor piè infi-
 nuat c. 5 p. 581. *Tertius ab Augusto Cæjus, ait, verè dignus Roma-*
nis blasphemantibus, & Iudeis persecutoribus punitor adhibitus. It-
rum p. 583: Iudei jam tunc ob passionem Christi meritis ubique cla-
dibus exagitabantur. Rationem hinc certam judicio suo consti-
 tuit summus sui ordinis Historicus Baronius, quærens de Caji
 aspero odio in Judæos eorumque persecutione, idque deducens
 à summo tribunali Dei, cujus expedit verba proferre: *Non casu id*
factum, ut permitteret Deus tam immanem bestiam in eos savire;
40. n. 14. peccatum quippe illorum, quo Christum Deum crucifixerunt, in ipsos
p. 281. clamans meritas exposcebat pænas. At sunt hæc initia dolorum, &
divinæ ultionis in Iudeos præludia, que in Ægypto cepta in aliis
terra

705. 18.

Ant. 10.

p. 639.

1. Ann.

40. n. 14.

p. 281.

errarum provinciis, ubi Iudei agerent, in dies magis magisque aueta, atque eorum magno dolore propagata, ne ipsa quidem immani atque asperissima Ierosolymorum excisione finem acceperunt. Deinde ad A. 41. n. 25 p. 290: His Iudeorum arumnis Dei vindicta in Iudeos, Cesare appellantes & Christum negantes, Caji furorem progredi, Numine impellente, conspiciuntur. Rursus ad A. 42 n. 8 p. 293 conjectat Iudeos ad Christum conversos Iudæis incredulis ad memoriam revocasse execrandum facinus in Christum innocentissimum, quodque non nisi Cesare se Regem habere contestati fuerint, indeque eos justè modo digneque Cesare sibi iratum experiri, Petronium adire, pedibus illius advolvi, & colla subjicere; historiamque hanc concludens num. 37 p. 303 meritò admiratione dignam æstimat ultionem divinam in Iudeos, non tam Ægyptios & Syros, quam Babylonios vexatos à Cajo, lentis sic passibus indignatione divinâ in eos procedente, gladiumque iræ suæ exacuate.

8. Voluntatem tyrannidi junctam testabatur diris sententiis, æstuque crudelitatis abreptus non erubescere dicere: *Utinam Populus Romanus unam cervicem haberet!* Nuntiavit etiam, gratum sibi esse, si eum Populus Rom. metueret.

Nil vilius Caji aula, nil contemptibilius, nil indignius. Ad dignitatem imperatoriam idè assumitur Rex, ut in throno excelso sedens sit Numinis reverens justitiæque amans. Thronus Imperatoris simul Tribunal, in quo sedens audiat, quid in subditorum commodis promovendis & provehendis sit necessarium, quid petant subditi, quid supplicent, quid contendant, quid universali regno sit conveniens & utile. Romanum Cajum inspice, non in Aulâ sed caulâ impuritatis stabulantem. In eo nil veri, nil sancti, nil quod grave & serium, nullus Deum metus, nulla religio, nulla reverentia legum. Servit voluptatibus, animi perturbationibus quotidianis pervertitur. Nihil in eo mentis, multò minus

- Sat. 1. v.* 149. mentis compositæ. *Omne in precipiti vitium stetit*, ut cum Juvenali de eo loquamur. Ex omni scelerum colluvione concretus nil cogitat, nisi de sceleribus, rapinis, cædibus, nunc in hunc, nunc in illum inflammatus, nunc in totum populum, ut damnum inferat, abreptus. *Exagitarunt caput Caji verminationes cerebri astuantis*, ut cum Seneca loquamur, variæ & difficiles, maximaque fuit verminatio, cerebrum totum obsidens, quòd grave est vermiculoso cerebroso & stomachoso Principi in magna pacis & otii abundantia Romam in flore videre. Optat illud scelus Principis Romanorum interitum, & id potissimum quærit, ut publicarum rerum status sit continuis dissidiis permixtus. Afflictam ille mavult Rempublicam quàm bene affectam. Miseram Italiam, ubi in viscera ferrum exercetur, malo Principe miseriam expetente, & odium suum cædibus promiscuis satiante. Natus ad crudelitatem sæpe supplicio addixit reos, ut cervicibus secandis voluptatem quæreret, aut gladii aciem experiretur. Non putares usque adeò hominem insanire posse, ut etiam obvio cuique ostenderet, quæ maligna mens sit, & quantus in cædes animus intus geratur. Verè
- 3 Syl. 3. v.* 70. 72. *furiis agitatus*, ut Statius loquitur, *terribilis affatu visuque Tyrannus* vocem hanc in ore habuit: *Oderint, dum metuant*. Multos Senatores aliosque honestos cives crudelissimè interfecit, hac sæpe jactatâ voce tyrannicâ: *Oderint, dum metuant*, quod scelestum ei verbum subinde excidisse memorat Suetonius. Bonus princeps *diligi* optat, at malus ille Cæjus *metui* desiderat, quo ipso præclarum dedit de suo incitatae tyrannidis studio testimonium, idemque detulit, quum, eodem teste Suetonio, studio se colendi, quo illum populus prosequi volebat, rejecto exclamabat: *Utinam populus Romanus unam cervicem haberet!* Intelligis, quantum in labiis diffusum sit venenum. Vocis barbaræ, atque superbissimæ tyrannidis plenæ, meminit Seneca, cùm scribit: *Illud mecum considero, multas voces magnas, sed detestabiles in vitam humanam pervenisse, celebresque vulgò proferri, ut illam: Oderint dum metuant. Cui Græcus versus similis est, qui se mortuo terram misceri ignibus* (extat Græcus Senarius apud Sueton. in Neron. c. 38. p. 354.) *juber, & alia hujus notæ. De voce illa dira & abominanda legantur Seneca 1. de Ira p. 407. 1. de Clem. 12. p. 473 Beroaldus in Suetonium fol.*

183; Erasmus *Chil. 2. cent. 9. ad. 62 p. 599*; Brancifortius de Affectibus lib. 2. p. 171; Stiernius *Nomoth. tit. 5 p. 123*. Permutetur illa vox aspernabilis in vocem amabilem: *Diligant, nec metuant*. Diligant, ut *Patrem Patria*, quâ voce studium augebitur colendi perpetuò atque observandi Principis. Damnat illud dictum imperiosè insolentium de subditis Cicero, 1. Philipp. col. 829, præstat enim diligi quàm metui; *metui verò & in odio esse, est invidiosum, detestabile, imbecillum, caducum*. *Quis enim diligit, quem metuat, aut eum, à quo se metui putet*, dicente eodem Cicerone in *Lælio*. Oderint, col. 569. dum metuant, ait Cajus, qui ipse metu non erat vacuus; nam metuit eos, quos amare par erat, & metuitur ipse, qui amandus erat, si modò bonus fuisset. Inhumana etiam vota desperatamque diritatem Suetonius memorat, *questum fuisse Cajum palam de conditione temporum suorum, quod nullis calamitatibus publicis insignirentur*. *Augusti principatum clade Variana; Tiberii ruina spectaculorum apud Fidenas, memorabilem factum; sui oblivionem imminere prosperitate rerum, à que identidem exercituum clades, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optavisse*. Offendebatur Caligula qualicunque illa reliqua potestate Populi Senatusque Romani, eamque semel & simul sublatam cupiebat, inquit: *Utinam Populus Rom. unam cervicem, quam semel uno ictu detruncare possem, haberet!* Statum enim Reipublicæ oderat, in qua tamen sumus erat. Hamanus olim Ebræos una ruina oppressos optabat; nunc Cajus Romanos, quem vis profus tyrannica excitavit, ut in tales sententias efferatas, testes animi sui & voluntatis, erumperet, quæ ut erant planè crudeles, ita videbantur Orosio dignæ, quæ maximam significationem darent pessimæ mentis, planèque confirmarent Cajum fuisse maximum Reipublicæ tyrannum. *Ut breviter*, p. 582. inquit, *magnitudinem crudelitatis ejus exprimam, exclamasse fertur: Utinam populus Romanus unam cervicem haberet*. *Sæpe etiam de conditione temporum suorum conquestus est*, (verba Suetonii sunt) *quod nullis calamitatibus publicis insignirentur*. O beata germina temporis Christiani, quantum prevaluistis in rebus humanis, ut etiam crudelitas hominis magis potuerit clades desiderare, quàm invenire. Ecce de tranquillitate generali feritas jejuna conqueritur. *Furores impius intus sæva sedens super arma, & centum*

v. 298.

vinctus aenis post tergum nodis fremit horridus ore cruento. Versus hi sunt Virgilio, qui primo Æneidos extant in Oratione Jovis de tranquillitate futuræ Romani Imperii & cessatione bellorum, quam ferre non poterat furor impius Caji. Insignia tempora putabat esse, magis si adversa & turbida essent, quàm secunda. Crudelitatem pertinacem Caji crudelemque vocem *de cervice una* Seneca aliquoties detestatur, uti 3 de Ira 18 p. 446; c. 19 & 20 p. 447; & quidem primò ponit exempla, quum in flagellis & tormentis voluptatem animi quæreret, non erga plebem aut nequam mancipia, sed Senatores, quum flagellare Romanum non liceret civem. Deinde cap. 19 p. 447 de illa voce beluina: *Homo qui de toto Senatu trucidando cogitabat, qui optabat, ut populus Romanus unam cervicem haberet, ut scelera sua tot locis ac temporibus diducta in unum idem & in unum diem cogeret.* Beluam verè dixit, quem modò hominis nomine vulgariter vix dignabatur. *Quid tantopere admiraris (exempla nocturni supplicii); isti beluæ quotidianum est, ad hoc vivit, ad hoc vigilat.* Non potest satis dignè vituperari os scelestum Caji, quo tandem interfecto ostendebatur, ὅτι κνήϊν & μὲν ἀυχένας ἕνα, δὲ μοι δὲ δὴ χεῖρας πολλὰς ἔχοιεν, Cajo quidem unam cervicem esse, populis verò esse complures manus. Intestina mala non poterant auferri, nisi ablato Tyranno. Persequemur nunc, post varia inania, immanis Tyranni finem, quod unicum nunc opus restat.

Dio p.
763. Xi-
phil. p.
256.

9. Vixit annos duodetriginta, imperavit triennio, decem mensibus, diebus octo. Odio propter tyrannidem habitus occiditur triginta vulneribus, Senatusque, crudelitatis Tiberii & Caji pertæsus, antiquam libertatem censet asserendam.

Non possumus non vehementer dolere, quum Princeps, cujus virtus & in publicis rebus fides probata est, moritur. Non possumus non vehementer gaudere, quum infensus publicæ rei Princeps, & à quo non nisi damnum exhibitum, ad plures abit,
ubi

ubi Tyrannorum sedes dira est. Diris ulticibus perierat Cajus, Deo vindice, introducitque Julianus Imp. apta fictione in Concilio Deorum Numina, averfis oculis Caligulam iratæ Nemefi relinquentia, quæ τὰς Πρωαῖς, *Diris ulticibus*, tradiderit belluam apud inferos cruciandam. Fragilis est vita Tyrannorum, eamque casus circumstant varii, qui prævideri satis non possunt. Rarò Tyrannum diuturna ægritudo aut brevis languor; sæpe improvifa mors rapit. Quo in loco, quo in tempore Nemefis veniat, nesciri solet. Nemefis justa Tyrannos pessundedit multos, qui diutius regnassèt, si dedissent operâ ad conscientiam colendam, Deum timendum, famam servandam. Nullum est certius iræ, & quæ eam comitatur divinæ vindictæ augurium, quàm si quando mortales furore sacrilego honores Deo debitos suffurari sibi que arrogare audent. Ea vindicta in Julio, qui divinos honores receperat, fuit facta, & nunc in Cajo auditur. Non diu passa est Tyrannum Roma, Deo nequitiam puniente ejus, qui Deum se fecerat, de cujus exitu Dio: τοῖς ἰσχυροῖς, ὡς ἐν ἡμῶν θεοῖς, ἐμαρτυρῶ, exitu didicit, quàm ipse non esset Deus.

Exitum tragicum notavit Seneca, scribens: *Quid C. Casarem in sua fata, pariter ac publica immisit? Gloria & Ambitio, & nullus supra ceteros eminendi modus.* Supra humanum intumuisse modum ait Consol. ad Polyb. c. 36. p. 595. Excedenti hac superbia taxata 2 de benef. 12, subdit cap. 13 p. 396: *O superbia magna fortuna! O stultissimum malum! ut te omnia nimia delectant? ut te omnia dedecent? quoque altius te sublevasti, hoc depressior es.* Solet Virtus, in finem perseverans, læto sine gaudere, confortioque frui hominum atque famæ felicitàte. Vitiorum, maximè impietatis in Deum, tandem exitus in conscientia cruciatibus & desperatione. Conscientia dictamen radicitus ex animo suo nullus Tiberius, nullus Nero aut Caligula evellere potest. Magnitudo scelerum tandem gravat conscientiam & excruciat sine levamine, unde refumi animus nequeat. Qui Deum contemnunt, mala conscientia subinde exagitantur. Ita Caligula non plus quàm tribus nocturnis horis quiescebat, ac ne his quidem placida quiete, sed pavida miris rerum imaginibus. Ex ea formidine Aetnæi montis fumo ac murmure pavescens repente noctu profugit. Trepidus ad vocem Dei tonantis, quem tamen evocaverat, antra subit, caput obvolvit, sub lectum se condit; quam

Casar.
p. 834.

p. 763.

Epist. 94.
p. 782.

Suet. c.
50. p. 265.

c. 51. p.
266.

forti-

6. N. O.
2. p. 755.

1. de Ira
p. 407.

Suet. c.
57. p. 271.

forsitan trepidationem inuuit Seneca, scribens: *Quid dementius, quam ad tonitrua succidere, & sub terram correpere fulminum metu?* Metum scilicet tumultus animi afferebant, nec non stimuli malæ conscientiæ, quos Deus prius in præsentem peccati pœnam esse voluit, undique ægram Gaji mentem lacerabant. Occurrebant oculis faces scelerum, imagines innocenter oppressorum, quibus tanquam furiis vigilans & dormiens terrebatur, quo quid infelicius potuit esse? Dicta Gaji terribilia in Jovem recensens Seneca sibi metipsi exitiosum fuisse iudicat, scribens: *Quanta dementia fuit! Putavit aut sibi noceri, ne à Iove quidem posse; aut se nocere etiam Iovi posse. Non puto parum momenti hanc eius vocem ad incitandum Conjuratorum animos addidisse; ultima enim patientiæ visum est eum ferre, qui Iovem non feret.* Nuntiari solent & observari certæ notæ, priusquã magni Principes excedant. Prodigia vidimus, cùm de Tiberio actũ est; nec excessus Gaji sine denunciatione fuit; solent enim plerunq; *portenta* Principum funera anteire, quæ mortẽ, quæ calamitosam, quæ mitiorem, solent indicare. Sex numerat Suetonius, quæ mortem Gaji prænuntiarint; 1. Jovis simulachrum cachinnum edidit; 2. Cassius affirmat, se somnio iussum immolare Taurum Jovi; 3. Capitolium de cœlo Capuæ tangebatur; & Romæ cella Palatini Atriensis. 4. Sulla Mathematicus certissimam necem prædixit; 5. Sortes Antiatinæ mortem prædixerunt 6. Somniabat ipse Gajus, consistere se in cœlo juxta solium Jovis, impulsamque ab eo dextri pedis pollice, & in terras præcipitatum. In miserimo statu erant res sub Gajo, levi que medicina non erat morbus sanabilis. Boni Præsides nusquam erant; fides Romæ non erat; exilio paucorum pacari damna non poterant, vix tranquillitas expectanda nisi cædibus eorum, qui omnia cædibus impleverant. Jam maiorum assiduitate exhausta Roma cogitabat de Gaji tollenda stultitia, ut exemplo aliis esset illorum remedium. Agebatur res quotidianis exhortationibus & precibus, maximè artificio Cassii Chæreæ, qui versat consilia in omnem partem. Ne ultro insaniret Imperator, ferrum adhibent Conjuratores, cumque tribus annis, mensibus novem, diebus viginti octo nefanda & perniciosissima quæque peregisset, tandem in angiportu triginta vulneribus confossus cecidit, atque unã cum ipso Uxor & Filia, cùm vixisset ipse annos XXVIII, menses IV, dies XXV. Hic finis fuit.

s
-
c
t
s
s
-
!
n
n
t
e
n
-
t
-
-
e
e
n
m
t
e
o
-
o
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
s,
12
i-
le





~~117~~
117 1567

ULB Halle

3


002 100 991



117

m: 117





H. Q. 2.



Handwritten scribbles

(cat. 134^b)

